M. A. PLAVTI TOM. II.

M. ATTI PLAVTI

COMOEDIARVM

TOMVS SECVNDVS.

IN VSVM ELEGANTIORVM HOMINVM

EDIDIT



FRIDERICVS HENRICVS BOTHE.

BEROLINI.

SVMTV AVGVSTI FRIDERICI KVHNI.

1810.


BIBLIOTHECA · BODLEIANA

C V R C V L I O.

ARGVMENTVM.

Curculio missu Phaedromi ivit Cariam,
Vt petat argentum; ibique eludit anulo
Rivalem, scribit atque obsignat literas.
Cognoscit signum Lyco, ubi vidit, militis:
Vt amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in ius rapit;
Ipsus sororem, quam peribat, reperit,
Oratu cuius Phaedromo nuptum locat.

DRAMATIS PERSONAE.

PALINVRVS.
PHAEDROMVS.
LENA.
PLANESIVM.
CAPPADOX.
COCVS.
CVRCVLIO.
LYCO.
CHORAGVS.
THERAPONTIGONVS.

PALINVRVS. PHAEDROMUS. PVER.

PALINVRVS.

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras i. s, I, 1.
Cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?

PHAEDROMVS.

Quo Venus Cupidoque imperat suadetque Amor.
Si media nox est, sive est prima vespera;
Si status condictus cum hoste intercedit dies;
Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis.

PALINVRVS.

At tandem . . . tandem . . .

PHAEDROMVS.

Tandem es odiosus mihi.

PALINVRVS.

Istuc quidem nec bellum est nec memorabile;
Tute tibi puer es; lautus luces cereum.

PHAEDROMVS.

Egon' apicularum congestum opera non feram,
Ex dulci oriundum, melculo dulci meo?

PALINVRVS.

Nam quo te dicam ego ire?

PHAEDROMVS.

Si tu me roges,

Dicam, ut scias.

PALINVRVS.

Si rogitem, quid respondeas?

PHAEDROMVS.

Hoc Aesculapi fanum est.

PALINVRVS.

Plus iam anno scio.

PHAEDROMVS.

Huic proxumum illud ostium occlusissumum.
Salve! Valuisti usque, ostium occlusissumum?

PALINVRVS.

Caruitne febris te heri vel nudius tertius,
Et heri coenavistine?

PHAEDROMVS.

Deridesne me?

PALINVRVS.

Quid tu ergo, insane, rogitas, valeatne ostium?

PHAEDROMVS.

Bellissumum hercle vidi et taciturnissumum:
Nunquam ullum verbum mittit; quom aperitur, tacet;
Quomque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.

PALINVRVS.

Numquid tu, quod te aut genere indignum sit tuo
Facis aut inceptas facere facinus, Phaedrome?
Num tu pudicae quoipiam insidias locas,
Aut quam pudicam oportet esse?

PHAEDROMVS.

Nemini,
Nec me ille sirit Iupiter!

PALINVRVS.

Ego item volo.

Ita tuom conferto amare semper, si sapis,
Ne id, quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato, ne sis intestabilis.

PHAEDROMVS.

Quid istuc est verbi?

PALINVRVS.

Caute ut incedas via:
Quod amas, amato testibus praesentibus.

PHAEDROMVS.

Quin leno hic habitat.

PALINVRVS.

Nemo hinc prohibet nec vetat
Quin, quod palam est venale, si argentum est, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum septum facias semitam,
Dum ted abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuventute et pueris liberis: ama quidlubet.

PHAEDROMVS.

Lenonis haec sunt aedes.

PALINVRVS.

Male istis evenat!

PHAEDROMVS.

Qui?

PALINVRVS.

Quia scelestam servitutem serviunt.

PHAEDROMVS.

Obloquere!

PALINVRVS.

Fiat maxumed.

PHAEDROMVS.

Etiam taces?

PALINVRVS.
Nempe obloqui me iusseras.
PHAEDROMVS.
At nunc veto.
Sed (ita, ut iam occoepi dicere) eii ancillula est...
PALINVRVS.
Nempe huic lenoni, qui hic habitat?
PHAEDROMVS.
Recte tenes.
PALINVRVS.
Minus formidabo, ne excidat.
PHAEDROMVS.
Odiosus es.
Eam volt meretricem facere. Ea me deperit;
Ego autem cum illa facere nolo mutuom.
PALINVRVS.
Quid ita?
PHAEDROMVS.
Quia proprium facio: amo pariter simul.
PALINVRVS.
Malus clandestinus est amor; damnum est merum.
PHAEDROMVS.
Est hercle ita, ut tu dicis.
PALINVRVS.
Iamne ea fert iugum?
PHAEDROMVS.
Tam a me pudica est, quasi soror mea sit, nisi
Si est osculando quidpiam inpudicior.
PALINVRVS.
Semper (tu scito) flamma fumo est proxuma.
Fumo conburi nil potest, flamma potest.

Qui nuculeum e nuce esse volt, frangit nucem;
Qui volt cubare, pandit saltum saviis.

PHAEDROMVS.

At illa est pudica, neque dum cubitat cum viris.

PALINVRVS.

Credam, pudor si quoiquam lenoni siet.

PHAEDROMVS.

Imo ut illam censes? Vt quaeque illi occasio est
Subripere se ad me: ubi savium oppegit, fugit.
Id eo fit, quia leno hic aegrotus incubat
In Aesculapi fano. Is me excruciat.

PALINVRVS.

Quid est?

PHAEDROMVS.

Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum, neque quidquam queo
Aequi bonique ab eo inpetrare.

PALINVRVS.

Iniurius,
Qui, quod lenoni nulli est, id ab eo petas.

PHAEDROMVS.

Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum
Petitum argentum a meo sodali mutuom;
Quod si non adfert, quo me vortam, nescio.

PALINVRVS.

Si deos salutas, dextrovorsum censeo.

PHAEDROMVS.

Nunc ara Veneris haec est ante horunc foris:
Me inferre Veneri vovi iam ientaculum.

PALINVRVS.

Quid antepones Veneri iam ientaculo?

PHAEDROMVS.

Me te atque hosce omnis.

PALINVRVS.

Tum tu Venerem vomere vis.

PHAEDROMVS.

Cedo, puere, sinum.

PALINVRVS.

Quid facturus?

PHAEDROMVS.

Iam scies.
Anus hic solet cubitare custos, ianitrix.
Est nomen lenae Multibiba atque Merobiba.

PALINVRVS.

Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet
Chium esse.

PHAEDROMVS.

Quid opust verbis? Vinosissuma est;
Eaque, ubi extemplo vino has conspersi foris,
De odore adesse me scit: aperit eloco.

PALINVRVS.

Eine hic cum vino sinus fertur?

PHAEDROMVS.

Nisi nevis.

PALINVRVS.

Nolo hercle: nam isti hunc qui fert, adflictum velim.
Nobis adferri ego censui.

PHAEDROMVS.

Quin tu taces?
Si quid super illi fuerit, id nobis sat est.

PALINVRVS.

Quisnam istic fluviust, quem non recipiat mare?

PHAEDROMVS.

Sequere hac, Palinure, me ad foris! ſi mi obsequens!

PALINVRVS.

Ita faciam.

PHAEDROMVS.

Agite, bibite, festivae fores!
Potate! ſite mihi volentes propitiae!

PALINVRVS.

Voltisne olivas aut pulmentum aut capparim?

PHAEDROMVS.

Exsuscitate vostram huc custodem mihi!

PALINVRVS.

Profundis vinum. Quae te res agitant?

PHAEDROMVS.

Sine.
Vide, ut aperiuntur aedes festiviſsumae!
Num muttit cardo? Est lepidus!

PALINVRVS.

Quin das savium?

PHAEDROMVS.

Tace! occultemus lumen et vocem!

PALINVRVS.

Licet.

LENA. PHAEDROMVS. PALINVRVS.

LENA.

Flos veteris vini meis naribus est obiectus: as. ex ch. d. iamb. et ithyph. I, 2.
Eius amos cupidam med huc prolicit per tenebras.

Vbiubi est, prope med est. — Euax, habeo! Salve. animè mi, as. ex t. d. et i. d. br.
Liberi lepos! Vt veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentum odos prae tuo nautea est! c. t.
Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa,
Tu crocum et casia, tu bdellium es! c. tr.
Nam ubi tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam! as. ex t. d. et i. d. c.
Sed quom adhuc naso, odos, obsecutus meo: c. t.
Da vicissim meo gutturi gaudium!
Nil ago tecum: ubi est ipsus? ipsum expeto
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim! Sed hac abiit: hac persequar.

PHAEDROMVS.

Sitit haec anus.

PALINVRVS.

Quantillum sitit?

PHAEDROMVS.

Modica est: capit quadrantal. i. t. c.

PALINVRVS.

Pol, ut praedicas, vindemia haec huic anui non satis soli est.
Canem esse hanc quidem mage par fuit: sagax nasum habet.

LENA.

Amabo,
Quoia vox sonat procul? t. d. c.

PHAEDROMVS.

Censeo hanc adpellandam anum. Adibo. Redi et c. t.

Respice

Respice ad med huc, lena!

LENA.

Imperator quis es?

PHAEDROMVS.

Vini pollens, lepidus Liber, tibi qui screanti, siccae, as. ex t. d. et i. d. c.
Semisomnae, potionem adfert et te sedatum it!

LENA.

Quam longe a me abest?

PHAEDROMVS.

Lumen hoc vide! as. ex b. d. et i.

LENA.

Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro! c. t.

PHAEDROMVS.

Salve.

LENA.

Egon' salva sim, quae siti sicca sum?

PHAEDROMVS.

At iam bibes.

LENA.

Diu fit: anacr.

PHAEDROMVS.

Hem tibi, anus lepida.

LENA.

Salve,
Oculissume homo!

PALINVRVS.

Age, cito hoc ecfunde in barathrum! propere prolue i. t.
Cloacam!

PHAEDROMVS.

Tace: nolo huic maledici.

PALINVRVS.

Faciam igitur male potius. i. t. c.

LENA.

Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo haud lubenter: i. t. c.
Nam tibi amantes, propitiantes, vinum danunt potantes as. ex t. d. et i. d. c.
Omnes: mi haut eveniunt saepe tales hereditates.

PALINVRVS.

Hoc vide, merum ut ingurgitat inpura in se avariter faucibus plenis! t. t.

PHAEDROMVS.

Perii hercle! huic quid primum dicam, nescio.

PALINVRVS.

Hem istuc, quod mihi dixti.

PHAEDROMVS.

Quid id est?

PALINVRVS.

Periisse ut te dicas.

PHAEDROMVS.

Male di faciant tibi!

PALINVRVS.

Dic isti.

LENA.

Ah!

PALINVRVS.

Quid est? ecquid lubet?

LENA.

Lubet.

PALINVRVS.

Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te.

PHAEDROMVS.

Tace! noli . . . .

PALINVRVS.

Tacebo. Ecce autem bibit arcus; pluet, credo, hercle hodie.

PHAEDROMVS.

Iamne ego huic dico . . . .

PALINVRVS.

Quid dices?

PHAEDROMVS.

Me periisse?

PALINVRVS.

Age dice.

PHAEDROMVS.

Anus, audi!

Hoc volo scire: perditus sum miser!

LENA.

At pol ego oppido servata!

Sed quid est, quod lubet perditum dicere c. t.

Te?

PHAEDROMVS.

Quia id, quod amo, careo. c. d. h.

LENA.

Phaedrome mi, ne plora, amabo! tu me curato, ne sitiam: t. t.

Ego tibi, quod amas, iam huc adducam.

PHAEDROMVS.

Nae ego, fidem si servas mecum,

Vineam pro aurea statua statuam, quae tuo gutturi sit monumentum.

Qui med in terra aeque fortunatus erit, si illa ad me bitet,

Palinure?

PALINVRVS.

Edepol, qui amat, si eget, misera adficitur aerumna. as. ex t. d. et i. d. c.

PHAEDROMVS.

Non ita res est: nam confido parasitum hodie adventurum
Cum argento ad me.

PALINVRVS.

Magnum inceptas, si id expetas, quod nusquam est.

PHAEDROMVS.

Quid, si adeam ad forem atque occentem?

PALINVRVS.

Si lubet. Neque veto neque iubeo: t. t.
Quando ego te video inmutatis moribus esse, here, atque ingenio.

PHAEDROMVS.

Pessuli, heus, pessuli, vos saluto lubens, c. t.
Vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro:
Gerite amanti mihi morem, amoenissumi!
Fite causa mea ludii barbari:
Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras,
Quae mihi misero amanti ecbibit sanguinem! —
Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec mea gratia conmovent se ocius!
Respicio, nihili meam vos gratiam facere. t. tr. h.
Sed tace!

PALINVRVS.

Taceo hercle. Quid id est?

PHAEDROMVS.

Sentio sonitum.
Tandem edepol mihi morigeri pessuli fiunt.

ANVS. PLANESIVM. PHAEDROMVS. PALINVRVS.

ANVS.

Placide egredere et sonitum prohibe forium et crepitum cardinum: t. t. c. I, 3.
Ne, hic quod agimus, herus percipiat fieri, mea Planesium.
Mane: subfundam aquolam.

PALINVRVS.

Viden', ut anus tremula medicinam facit?
Eapse merum condidicit bibere; foribus dat aquam, quam bibant.

PLANESIVM.

Vbi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
[Vbi tu es, qui me libello Venerio citavisti?]
Ecce me! sisto ego tibi me et mihi ades contra suadeo.

PHAEDROMVS.

Adsum: nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit, mel meum.

PLANESIVM.

Anime mi, me procul amantem abesse, haud consentaneum est.

PHAEDROMVS.

Palinure, Palinure!

PALINVRVS.

Eloquere, quid est, quod Palinurum voces?

PHAEDROMVS.

Est lepida?

PALINVRVS.

Nimis lepida.

PHAEDROMVS.

Sum deus?

PALINVRVS.

Imo homo haud magni preti.

PHAEDROMVS.

Quid vidisti aut quid videbis mage dis aequiparabile?

PALINVRVS.

Male valere te, quod mi aegre est.

PHAEDROMVS.

Male mihi morigerus! tace!

PALINVRVS.

Ipsus se excruciat, qui homo, quod amat, videt, nec potitur, dum licet.

PHAEDROMVS.

Recte obiurgat. Sane haud quidquam est, mage quod cupiam tam diu.

PLANESIVM.

Tene me, amplectere, ergo!

PHAEDROMVS.

Hoc etiam est, quamobrem cupiam vivere.
Quia te herus prohibet, clam hero potior.

PLANESIVM.

Prohibet nec prohibere quit
Nec prohibebit, nisi mors animum meum abs te abalienaverit.

Palinvrvs.

Enimvero nequeo durare, quin ego herum adcusem meum:
Nam bonum est pauxillum amare sane; insane non bonum est;
Verum totum insanum amare, hoc est, quod meus herus facit.

Phaedromvs.

Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites,
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi proelia!
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suom est!

Palinvrvs.

Quid tu? Venerin' pervigilare te vovisti, Phaedrome?
Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit.

Phaedromvs.

Tace!

Palinvrvs.

Quid taceam? quin tu is dormitum?

Phaedromvs.

Dormio: ne obclamites!

Palinvrvs.

Tu quidem vigilas.

Phaedromvs.

At meo more dormio: hic somnust mihi.

Palinvrvs.

Heus tu, mulier, male mereri de inmerenti inscitia est.

PLANESIVM.

Irascere, si te edentem hic a cibo abigat?

PALINVRVS.

Ilicet!
Pariter hos perire amando video; uterque insaniunt.
Viden', ut misere moliuntur nec queunt conplecti satis?
Etiam dispartimini?

PLANESIVM.

Nulli est homini perpetuom bonum:
Iam huic voluptati hoc adiunctum est odium.

PALINVRVS.

Quid ais, propudium?
Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas,
Ebriolae persolla, nugae?

PHAEDROMVS.

Tun' meam Venerem vituperas?
Quod quidem mihi polluctus virgis servos sermonem serat?
At nae tu hercle id cum cruciatu magno dixisti tuo!
Hem tibi maledictis pro istis: dictis moderari ut queas.

PALINVRVS.

Tuam fidem, Venus noctuvigila!

PHAEDROMVS.

Pergin' etiam, verbero?

PLANESIVM.

Noli, amabo, verberare lapidem: ne perdas manum.

PALINVRVS.

Flagitium probrumque magnum, Phaedrome, expergefacis:
Bene monstrantem pugnis caedis; hanc amas, nugas meras.
Hoccine fieri, ut inmodestis te hic moderere moribus?

PHAEDROMVS.

Auro contra cedo modestum amatorem! a me aurum accipe!

PALINVRVS.

Cedo mihi contra aurichalco, quoi ego sano serviam!

PLANESIVM.

Bene vale, oculi mi: nam sonitu et crepitu claustrorum audio
Aedituom aperire fanum.

PHAEDROMVS.

Quousque . . . .?

PLANESIVM.

Quaeso, ad hunc modum
Inter nos amore utemur semper subrepticio?

PHAEDROMVS.

Minume: nam parasitum misi nudius quartus Cariam
Petere argentum; is hodie hic aderit.

PLANESIVM.

Nimium consultas diu.

PHAEDROMVS.

Ita me Venus amet, ut ego hoc te triduom nunquam sinam
In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem!

PLANESIVM.

Facito, ut memineris! Tene etiam, priusquam hinc abeo, savium!

PHAEDROMVS.

Si quidem mi hercle regnum detur: nunquam id potius persequar!
Quando ego te videbo?

PLANESIVM.

Ehem, istoc verbo vindictam para!
Si amas, eme! ne rogites! facito, ut pretio pervincas tuo!
Bene vale!

PHAEDROMVS.

Iamne ego relinquor? — Pulcre, Palinure, occidi!

PALINVRVS.

Ego quidem, qui et vapulando et somno pereo.

PHAEDROMVS.

Sequere me.

CAPPADOX. PALINVRVS.

CAPPADOX.

Migrare certum est iam nunc e fano foras, i. s. II, 1.
Quando Aesculapi ita sentio sententiam,
Vt qui me nihili faciat nec salvom velit.
Valetudo decrescit, adcrescit labor:
Nam iam, quasi zona, liene cinctus ambulo;
Geminos in ventre habere videor filios.
Nil metuo, nisi, ne medius disrumpar miser.

PALINVRVS.

Si recte facias, Phaedrome, auscultes mihi
Atque istam exturbes ex animo aegritudinem.
Paves, parasitus quia non rediit Caria?
Adferre argentum credo: nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin recipiat se huc esum ad praesepim suam.

CAPPADOX.

Quis hic est, qui loquitur?

PALINVRVS.

Quoiam vocem ego audio?

CAPPADOX.

Estne hic Palinurus Phaedromi?

PALINVRVS.

Qui hic est homo
Cum conlativo ventre atque oculis herbeis?
De forma novi; de colore non queo
Novisse. Iamiam novi: leno est Cappadox.
Congrediar.

CAPPADOX.

Salve, Palinure.

PALINVRVS.

O scelerum caput,
Salveto. Quid agis?

CAPPADOX.

Vivo.

PALINVRVS.

Nempe, ut dignus es.
Sed quid tibi est?

CAPPADOX.

Lien necat, renes dolent,

Radices cordis pereunt, hirae omnes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur iecur.

PALINVRVS.

Tum te igitur morbus agitat hepatarius.

CAPPADOX.

Lien dierectust.

PALINVRVS.

Ambula: id lieni optumum est.

CAPPADOX.

Facile est miserum inridere.

PALINVRVS.

Quin tu aliquot dies
Perdura, dum intestina exputescunt tibi.
Nunc, dum salsura sat bona est, si id feceris:
Venire poteris intestinis vilius.

CAPPADOX.

Aufer istaec, quaeso, atque hoc responde, quod rogo.
Potin' coniecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?

PALINVRVS.

Vah, solus hic homo est, qui sciat divinitus.
Quin coniectores a me consilium petunt:
Quod eis respondi, ea omnes stant sententia.

COCVS. CAPPADOX. PALINVRVS. PHAEDROMVS.

COCVS.

Palinure, quid stas? quin depromuntur mihi, i. s. II, 2.
Quae opus, parasito ut sit paratum prandium,
Quom veniat?

PALINVRVS.

Mane, sis, dum huic coniicio somnium.

COCVS.

Tute ipse, si quid somniasti, ad me refers.

PALINVRVS.

Fateor.

COCVS.

Abi, deprome!

PALINVRVS.

Age, tu interea huic somnium
Narra: meliorem, quam ego sum, suppono tibi:
Nam quod scio, omne ex hoc scio.

CAPPADOX.

Operam ut det.

PALINVRVS.

Dabit.

CAPPADOX.

Facit hic, quod pauci, ut sit magistrod obsequens.
Da mi igitur operam.

COCVS.

Tametsi non novi, dabo.

CAPPADOX.

Hac nocte in somnis visus sum viderier

Procul sedere longe a me Aesculapium,
Neque eum ad me adire neque me magni pendere
Visum est.

COCVS.

Item alios deos facturos scilicet:
Sane illi inter se congruont concorditer.
Nil est mirandum; melius si nil sit tibi:
Namque incubare satius te fuerat Iovi,
Tibi qui auxilio in iureiurando fuit.

CAPPADOX.

Si quidem incubare velint, qui periuraverint:
Locus praeberi non pote in Capitolio.

COCVS.

Nunc animum advorte. Pacem ab Aesculapio
Petas: ne forte tibi evenat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum est.

CAPPADOX.

Bene facis.
Ibo atque orabo.

COCVS.

Quae res male vortat tibi!

PALINVRVS.

Proh di inmortales, quem conspicio? qui illic est?
Estne hic parasitus, missus qui est in Cariam?
Heus, Phaedrome, exi, exi, exi, exi, exi, inquam, ocius!

PHAEDROMVS.

Qui istic clamorem tollis?

PALINVRVS.

Parasitum tuom

Video currentem, ellum; usque in platead ultima.
Hinc auscultemus, quid agat.

PHAEDROMVS.

Sane censeo.

CVRCVLIO. PHAEDROMVS. PALINVRVS.

CVRCVLIO.

Date viam, noti atque ignoti, dum ego hic officium meum t. t. c. II, 3.
Facio! fugite omnes, abite et de via secedite:
Ne quem in cursu capite aut cubito aut pectore obfendam aut genu:
Ita nunc subito et propere et celere obiectum est mihi negotium;
Nec sit tam opulentus quisquam, qui mi obsistat in via,
Nec strategus nec tyrannus quisquam neque agoranomus
Nec demarchus nec comarchus nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in via de semita!
Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui subfarcinati incedunt cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetae,
Obstant, obsistunt, obcedunt cum suis sententiis;
Quos videas semper lubentes esse in thermopolium,
Vbi quid subripuere (operto capitulo calidum bibunt;
Tristes atque ebrioli abscedunt): eos ego si obfendero,

Ex unoquoque eorum eiiciam crepitum polentarium!
Tum isti, qui ludunt datatim, servi scurrarum in via,
Et datores et factores omnes subdam sub solum!
Proinde se domi contineant, vitent infortunio!

PHAEDROMVS.

Recte hic monstrat se imperare posse: nam ita nunc mos viget,
Ita nunc servitium est. Profecto modus haberi non potest.

CVRCVLIO.

Ecquis est, qui mihi conmonstret Phaedromum, genium meum?
Ita res subita est: celeriter mi hoc homine convento est opus.

PALINVRVS.

Te ille quaerit.

PHAEDROMVS.

Quid, si adeamus? Heus, Curculio, te volo!

CVRCVLIO.

Quis vocat? quis nominat me?

PHAEDROMVS.

Qui te conventum cupit.

CVRCVLIO.

Haud mage cupis, quam ego te cupio.

PHAEDROMVS.

O mea opportunitas,
Curculio exoptate, salve!

CVRCVLIO.

Salve!

PHAEDROMVS.

Salvom gaudeo
Te advenire! Cedo tuam mihi dexteram! Vbi sunt spes meae?
Eloquere, obsecro, hercle!

CVRCVLIO.

Eloquere, te obsecro, hercle, ubi sunt meae?

PHAEDROMVS.

Quid tibi est?

CVRCVLIO.

Tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt.

PHAEDROMVS.

Lassitudine hercle, credo.

CVRCVLIO.

Retine, retine me, obsecro!

PHAEDROMVS.

Vide, ut expalluit! datin' isti sellam, ubi adsidat, cito
Et aqualem cum aqua? properatin' ocius?

CVRCVLIO.

Animo male est.

PHAEDROMVS.

Vin' aquam?

CVRCVLIO.

Si frustulenta est: da, obsecro, hercle: obsorbeam.

PHAEDROMVS.

Vae capiti tuo!

CVRCVLIO.

Obsecro hercle, facite, ventum ut gaudeam.

PHAEDROMVS.

Maxume.

CVRCVLIO.

Quid facitis, quaeso?

PALINVRVS.

Ventum.

CVRCVLIO.

Nolo equidem mihi
Fieri ventulum.

PHAEDROMVS.

Quid igitur?

CVRCVLIO.

Esse, ut ventum gaudeam.

PHAEDROMVS.

Iupiter te dique perdant!

CVRCVLIO.

Perii, prospicio parum;
Osmarum habeo dentis plenos; lippiunt fauces fame;
Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.

PHAEDROMVS.

Iam edes aliquid.

CVRCVLIO.

Nolo hercle aliquid; certum quam aliquid mavolo.

PHAEDROMVS.

Imo si scias, reliquiae quae sint tibi . . . .

CVRCVLIO.

Scire nimis lubet,
Vbi sient? nam illis conventis sane opus est meis dentibus.

PHAEDROMVS.

Perna suis, abdomen, sumen, glandium.

CVRCVLIO.

Aiin' tu omnia hic?
In carnario fortasse dicis.

PHAEDROMVS.

Imo in lancibus;
Quae tibi sunt parata, postquam scimus venturum.

CVRCVLIO.

Vide,
Ne me ludas.

PHAEDROMVS.

Ita me amabit, quam ego amo, ut haud ego mentior.
Sed quod te misi, nihilo sum certior.

CVRCVLIO.

Nihil attuli.

PHAEDROMVS.

Perdidisti me!

CVRCVLIO.

Invenire possum, si mi operam dabis.
Postquam tuo iussu profectus sum: perveni in Cariam;
Video tuom sodalem; argenti rogo uti faciat copiam.
Scires, velle gratiam tuam: noluit frustrarier,
Vt decet velle hominem amicum amico atque opitularier:
Mihi respondit paucis verbis atque adeo fideliter,
Quod tibi esset, item sibi esse, magnam argenti inopiam.

PHAEDROMVS.

Perdis me tuis dictis!

CVRCVLIO.

Imo servo et servatum volo.
Postquam mihi responsum est: abeo ab illo moestus ad forum,
Frustra med illo advenisse. Forte adspicio militem,

Adgredior hominem, saluto adveniens. Salve, inquit, mihi,
Prendit dexteram, seducit, rogat, quid veniam Cariam.
Dico, me illo advenisse animi causa. Ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro trapezitam Lyconem noverim?
Dico, me novisse. — Quid lenonem Cappadocem? — Adnuo,
Visitasse. Sed quid eum vis? — Quia de illo emi virginem
Mnis triginta, vestem, aurum. Et pro his decem coaccedunt minae. —
Dedidisti argentum? inquam. — Imo apud trapezitam situm est
Illum, quem dixi, Lyconem; atque ei mandavi, qui anulo
Meo tabellas obsignatas attulisset, ut daret
Operam, ut mulierem a lenone cum auro et veste abduceret.
Postquam hoc mihi narravit: abeo ab illo; revocat me eloco,
Vocat ad coenam; religio fuit: denegare nolui.
Quid, si abeamus, decumbamus? inquit. Consilium placet.
Neque diem decet morari, neque nocti nocerier.
Omnis res parata est et nos, quibus paratum est, adsumus.
Postquam coenati atque adpoti: talos poscit sibi in manum;
Provocat me, in aleam ut ego ludam. Pono pallium;
Ille suom anulum opposivit, invocat Planesium.

PHAEDROMVS.

Meosne amores?

CVRCVLIO.

Tace parumper. Iacit volturios quatuor.
Talos arripio, invoco almam meam nutriculam Herculem,
Iacto basilicum, propino magnum poclum; ille ecbibit,
Caput deponit, condormiscit; ego ei subduco anulum,
Deduco pedes de lecto clam, ne miles sentiat;
Rogitant servi, quo eam? dico me ire, quo saturi solent;
Ostium ubi conspexi: exinde me eloco protinam dedi.

PHAEDROMVS.

Laudo.

CVRCVLIO.

Laudato, quando illud, quod cupis, ecfecero.
Eamus nunc intro: ut tabellas consignemus.

PHAEDROMVS.

Non moror.

CVRCVLIO.

Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, sumen, glandium.
Haec sunt ventri stabilimenta, pane et assa bubula,
Poculum grande, aula magna: ut satis consilia suppetant.
Tu consignato tabellas; hic ministrabit; ego edam:
Dicam, quemadmodum conscribas. Sequere me hac intro.

PHAEDROMVS.

Sequor.

LYCO. CVRCVLIO. PVER. LENO.

LYCO.

Beatus videor; subduxi ratiunculam, i. s. III.
Quantum aeris mihi sit quantumque alieni siet:
Dives sum, si non reddo eis, quibus debeo.
[Si reddo eis, quibus debeo, plus alieni est.]
Verum hercle vero viros convellere cogito,
Si mage me instabunt; ad praetorem subferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Vt alius alium poscant, reddant nemini,
Pugnis rem solvant, si quis poscat durius.
Mature qui quaesivit homo pecuniam,
Nisi eam mature parsit, mature esurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius
Nunc mihi quaeratur: usus est pecunia.

CVRCVLIO.

Nil tu me saturum monueris: memini et scio.
Ego hoc ecfectum lepide tibi tradam! Tace.
Edepol nae ego hic med intus explevi probe
Et quidem reliqui in ventre cellae uni locum,
Vbi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hic est, operto capite qui Aesculapium
Salutat? Attat, quem quaerebam! Sequere me.
Simulabo, quasi non noverim. Heus tu! te volo.

LYCO.

Vnocule, salve.

CVRCVLIO.

Quaeso, iridesne me?

LYCO.

De Coclitum prosapia te esse arbitror:
Nam ii sunt unoculi.

CVRCVLIO.

Catapulta hoc ictum est mihi
Apud Sicyonem.

LYCO.

Nam quid id refert mea,
An aula quassa cum cinere ecfossus siet?

CVRCVLIO.

Superstitiosus hic quidem est: vera praedicat:
Nam illaecce catapultae ad me crebro conmeant.
Adulescens, ob rempublicam hoc ictum est mihi
Quod insigne habeo: quaeso ne me incomities.

LYCO.

Licetne inforare, si incomitiare haud licet?

CVRCVLIO.

Non inforabis me quidem nec mihi placens
Tuom profecto nec forum nec comitium.
Sed hunc, quem quaero, conmonstrare si potes,
Inibis a me solidam et grandem gratiam.
Trapezitam ego Lyconem quaero.

LYCO.

Dic mihi,
Quid eum nunc quaeris, aut cuiatis.

CVRCVLIO.

Eloquar.
Ab Therapontigono Platagidoro milite.

LYCO.

Novi edepol nomen: nam mihi istoc nomine,
Dum scribo, explevi totas ceras quatuor.
Sed quid Lyconem quaeris?

CVRCVLIO.

Mandatum est mihi,
Vt has tabellas ad eum ferrem.

LYCO.

Quis tu homo es?

CVRCVLIO.

Libertus illius, quem omnes Summanum vocant.

LYCO.

Summane, salve. Qui Summanus, fac sciam.

CVRCVLIO.

Quia vestimenta, ubi obdormivit ebrius,
Summano: ob eam rem me omnes Summanum vocant.

LYCO.

Alibi te meliust quaerere hospitium tibi:
Apud me profecto nihil est Summano loci.
Sed istunc, quem quaeris, ego sum.

CVRCVLIO.

Quaeso, tune is es
Lyco trapezita?

LYCO.

Ego sum.

CVRCVLIO.

Multam me tibi
Salutem iussit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me iussit.

LYCO.

Mihin'?

CVRCVLIO.

Ita.
Cape; signum nosce. Nostin'?

LYCO.

Quidni noverim,
Clypeatus elephantum ubi machaera dissicit?

CVRCVLIO.

Quod istic scriptum est, id te orare iusserat
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.

LYCO.

Concede: inspiciam, quid sit scriptum.

CVRCVLIO.

Maxume,
Tuo arbitratu, — dum auferam abs te id, quod peto.

LYCO.

„Miles Lyconid in Epidaurod hospiti
Suo Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit.

CVRCVLIO.

Meus hic est: hamum vorat!

LYCO.

„Tecum oro et quaeso, qui has tabellas adferet
Tibi, ut ei detur, quam istic emi virginem
(Quod te praesente istic egi atque interprete)
Et aurum et vestem. Scis, uti convenerit.
Argentum des lenonid, huic des virginem."
Vbi ipsus? cur non venit?

CVRCVLIO.

Ego dicam tibi.
Quia nudius quartus venimus indu Cariam
Ex India: ibi nunc statuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quae siet
Septempedalis, factis monumentum suis.

LYCO.

Quamobrem istuc?

CVRCVLIO.

Dicam. Quia enim Persas, Paphlagonas,
Synopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,

Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam,
Centauromachiam et Classiam Vnomammiam,
Libyamque totam et omnem Conterebromiam,
Dimidiam partem nationum usque omnium,
Subegit solus intra viginti dies.

LYCO.

Vah!

CVRCVLIO.

Quid mirare?

LYCO.

Quia enim in cavea si forent
Conclusid, itidem ut pulli gallinacei,
Ita non potuere uno anno circumirier.
Credo hercle, te esse ab illo: nam ita nugas blatis.

CVRCVLIO.

Imo etiam porro, si vis, dicam.

LYCO.

Nil moror.
Sequere hac: te absolvam, qua advenisti gratia.
Atque eccum video. Leno, salve.

LENO.

Di te ament.

LYCO.

Quid hoc, quod ad te venio?

LENO.

Dicas, quid velis.

LYCO.

Argentum accipias, cum illo mittas virginem.

LENO.

Quid, quod iuratus sum?

LYCO.

Quid id refert tua,
Dum argentum accipias?

LENO.

Qui monet, quasi adiuvat.
Sequimini.

CVRCVLIO.

Leno, cave mihi sit in te mora!

CHORAGVS.

Edepol nugatorem lepidum lepide hunc nactust Phaedromus. t. t. c. IV, I.
Kalophantamne an sycophantam esse hunc mage dicam, nescio.
Ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere.
Quamquam cum istoc mihi negoti nihil est: ipsi Phaedromo
Credidi; tamen adservabo. Sed dum hic egreditur foras,
Conmonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco:
Ne nimio opere sumat operam, si quem conventum velit,
Vel vitiosum vel sine vitio, vel probum vel inprobum.
Periurum hominem convenire qui volt, mitto in comitium;
Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum.

Ditis damnosos maritos sub Basilica quaerito.
Ibidem erunt scorta exoleta, quique stipulari solent.
Symbolarum conlatores apud forum piscarium.
In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri.
Confidentes garrulique et malevoli supra Lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipsi sat habent quod ipsis vere possit dicier.
Sub Veteribus, ibi sunt, qui dant quique accipiunt foenori.
Castoris pone aedem, ibi sunt, subito quibus credas male.
Tusco in vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
In Velabro vel pistorem, vel lanium, vel haruspicem,
Vel qui ipsi vortant, vel, quae aliis subvorsentur, praebeant.
[Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.]
Sed interim fores crepuere: linguae moderandum est mihi. i. t.

CVRCVLIO. CAPPADOX. LYCO.

CVRCVLIO.

I tu prae, virgo: non queo, quod pone me est, servare. i. t. c. IV, 2.
Et aurum et vestem omnem suom esse aibat, quidquid haec haberet.

CAPPADOX.

Nemo iit inficias.

CVRCVLIO.

Attamen meliusculum est monere.

LYCO.

Memento, promisisse te, si quisquam hanc liberali
Causa manu adsereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta.

CAPPADOX.

Meminero; de istoc quietus esto:
Et nunc idem dico.

CVRCVLIO.

Et conmeminisse haec ego volam te.

CAPPADOX.

Memini et mancupio tibi dabod.

CVRCVLIO.

Egon' ab lenone quidquam
Mancupio accipiam, quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Qui abiurant, si quid creditum est? Alienos mancupatis,
Alienos mittitis manud, alienisque imperatis;
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli.
Item genus est lenonium inter homines meo quidem animo,
Vt muscae culices cimices pedesque pulicesque:
Odio et malo et molestiae, bono usui estis nulli;
Nec quisquam vobiscum in foro frugi consistere audet:

Qui constitit, culpant eum, conspuitur, vituperatur;
Eum rem fidemque perdere, tametsi nil fecit, aiunt.

LYCO.

Edepol lenones meo animo novisti, lusce, lepide.

CVRCVLIO.

Eodem hercle vos pono et paro: parissumi estis hibus.
Hi saltem in occultis locis prostant: vos in foro ipso;
Vos foenore, hi malo suadendo et lustris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus scivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam.
Quasi aquam ferventem frigidam esse, ita vos putatis leges.

LYCO.

Tacuisse mavellem.

CAPPADOX.

Haud male meditate maledicax es.

CVRCVLIO.

Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico;
Verum si dignis dicitur, benedictum este mo quidem animo.
Ego mancipem te nil moror nec lenonem alium quemquam.
Lyco, numquid vis?

LYCO.

Bene vale.

CVRCVLIO.

Vale.

CAPPADOX.

Heus tu: tibi ego dico!

CVRCVLIO.

Eloquere, quid vis.

CAPPADOX.

Quaeso, ut hanc cures, bene ut sit isti.
Bene ego istam eduxi meae domi et pudice.

CVRCVLIO.

Si huius miseret:
Ecquid das, qui bene sit?

CAPPADOX.

Malum.

CVRCVLIO.

Tibi opust, qui te procures.

CAPPADOX.

Quid, stulta, ploras? Ne time; bene hercle vendidi ego te.
Fac, sis, bonae frugi sies! Sequere istum, bella, belle!

LYCO.

Summane, numquid nunc ïam me vis?

CVRCVLIO.

Vale atque salve:
Nam et operam mi et pecuniam benigne praebuisti.

LYCO.

Salutem multam dicito patrono.

CVRCVLIO.

Nuntiabo.

LYCO.

Numquid vis, leno?

CAPPADOX.

Istas minas decem, qui me procurem,
Dum melius sit mihi, des.

LYCO.

Dabuntur: cras peti iubeto.

CAPPADOX.

Quando bene gessi rem, volo hic in fano supplicare:
Nam illanc minis olim decem puellam parvolam emi;
Sed eum, qui mi illam vendidit, nunquam postilla vidi;
Periisse credo. Quid id mea refert? ego argentum habeo.
Quoi dei homini sunt propitii, lucrum ei profecto obiiciunt.
Nunc re divinae operam dabo. Certum est bene me curare.

THERAPONTIGONVS. LYCO.

THERAPONTIGONVS.

Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia, t. t. c. IV, 3.
Sed eapse illa, qua excidionem facere condidici oppidis.
Nunc nisi tu mihi propere properas dare iam triginta minas,
Quas ego apud te deposivi, vitam propera ponere!

LYCO.

Non edepol ego mediocri nunc te macto infortunio,
Sed eopse illo, quo mactare soleo, quoi nil debeo.

THERAPONTIGONVS.

Ne te mihi facias ferocem aut supplicare censeas!

LYCO.

LYCO.

Nec tu me quidem unquam subiges, redditum ut reddam tibi,
Nec daturus sum!

THERAPONTIGONVS.

Idem ego istuc, quom credebam, credidi,
Te nihil esse redditurum.

LYCO.

Cur nunc a me igitur petis?

THERAPONTIGONVS.

Scire volo, quoi reddidisti.

LYCO.

Lusco liberto tuo;
Is Summanum se vocari dixit; eii reddidi,
Qui has tabellas obsignatas attulit.

THERAPONTIGONVS.

Quas tu mihi tabulas, t. t.
Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias? t. t. c.
Nec mihi quidem libertus ullus est.

LYCO.

Facis sapientius,
Quam pars latronum, libertos qui habent et eos deserunt.

THERAPONTIGONVS.

Quid fecisti?

LYCO.

Quod mandasti, feci honoris gratia,
Tuom qui signum ad me attulisset, nuntium ne spernerem.

THERAPONTIGONVS.

Stultior stulto fuisti, qui iis tabellis crederes.

LYCO.

Quis res publica et privata geritur, nonne iis crederem?
Ego abeo: tibi res soluta est recte. Bellator, vale.

THERAPONTIGONVS.

Qui valeam?

LYCO.

At tu aegrota, si vis, per med aetatem quidem.

THERAPONTIGONVS.

Quid ego nunc faciam? quid refert me fecisse regibus,
Vt mi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?

CAPPADOX. THERAPONTIGONVS.

CAPPADOX.

Quoi hominum di sunt propitii, ei non esse iratos puto. t. t. c. IV, 4.
Postquam rem divinam feci: venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam:
Vt ego potius comedim, quam ille.

THERAPONTIGONVS.

Iusseram salvere te.

CAPPADOX.

Therapontigone Platagidore, salve! Salvos quom advenis
In Epidaurum: hic hodie apud me — nunquam delinges salem.

THERAPONTIGONVS.

Bene vocas; verum vocata res est, ut male sit tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te?

CAPPADOX.

Nil apud me quidem
(Ne facias testis), neque equidem debeo quidquam.

THERAPONTIGONVS.

Quid est?

CAPPADOX.

Quod fui iuratus, feci.

THERAPONTIGONVS.

Reddin', an non, virginem,
Priusquamde huic machaerae te meae obicio, mastigia?

CAPPADOX.

Vapulare ego te vehementer iubeo. Ne me territes!
Illa abducta est; tu auferere hinc a me, si perges mihi
Male loqui profecto, quoi ego, nisi malum, nil debeo!

THERAPONTIGONVS.

Mihin' malum minitare?

CAPPADOX.

Atque edepol non minitabor, sed dabo,
Mihi molestus si esse perges!

THERAPONTIGONVS.

Leno minitatur mihi,
Meaeque pugnae proeliares plurimae obtritae iacent?
At ita me machaera et clypeus bene iuvent pugnantem in acie, t. t.

Nisi mihi virgo redditur: t. d. e.
Iam ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant!

CAPPADOX.

At ita meae volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum
Bene me amassint meaque axicia linteumque extersui,
Vt ego tua magnifica verba neque istas tuas magnas minas
Pluris non facio, quam ancillam meam, quae latrinam lavat.
Ego illam reddidi, qui argentum a te attulit.

THERAPONTIGONVS.

Quis is est homo?

CAPPADOX.

Tuom libertum sese aiebat esse Summanum.

THERAPONTIGONVS.

Meum?
Attat, Curculio hercle verba mihi dedit, quom cogito:
Is mihi anulum subripuit.

CAPPADOX.

Perdidistin' tu anulum?
Miles, pulcre centuriatus es expuncto in manipulo!

THERAPONTIGONVS.

Vbi nunc Curculionem inveniam?

CAPPADOX.

In tritico facillume
Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperies.
Ego abeo. Vale atque salve.

THERAPONTIGONVS.

Male vale! male sit tibi! —
Quid ego faciam? maneam an abeam? Siccine mi os esse oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi sit, conmonstret mihi!

CVRCVLIO.

Antiquom audivi poëtam scripsisse in tragoedia: t. t. c. V, 1.
Mulieres duas peiores esse, quam unam. Res ita est;
Verum mulierem peiorem, quam haec amica est Phaedromi,
Non vidi neque audii, neque pol dici nec fingi potest
Peior, quam haec est: quae ubi me habere hunc conspicata est anulum,
Rogat, unde habeam. — Quid tu id quaeris? — Quia mihi quaesito est opus. —
Nego, me dicere. Vt eum eriperet, mordicus arripuit manum.
Vix foras me abripui atque ecfugi. Apage istanc caniculam!

PLANESIVM. PHAEDROMVS. CVRCVLIO. THERAPONTIGONVS.

PLANESIVM.

Phaedrome, propera . . . .

PHAEDROMVS.

Quid properem?

PLANESIVM.

Parasitum ne amiseris! t. t. c. V, 2.
Magna res est!

PHAEDROMVS.

Nulla est mihi: nam, quam habui, adsumsi celeriter.
Teneo: quid negoti est?

PLANESIVM.

Rogita, unde istunc habeat anulum.
Pater istuncce gestitavit meus.

CVRCVLIO.

At mea matertera!

PLANESIVM.

Mater eii utendum dederat.

CVRCVLIO.

Pater eius rursum mihi!

PLANESIVM.

Nugas garris.

CVRCVLIO.

Soleo: nam propter eas vivo facilius.
Quid nunc?

PLANESIVM.

Obsecro, parentes ne meos mihi prohibeas!

CVRCVLIO.

Quid ego? sub gemman' abstrusos habeo tuam matrem et patrem?

PLANESIVM.

Libera ego sum nata.

CVRCVLIO.

Et alii multi, qui nunc serviunt.

PLANESIVM.

Enimvero irascor.

CVRCVLIO.

Dixi equidem tibi, unde ad me hic pervenerit.
Quotiens dicundum est? Elusi militem, inquam, in alea.

THERAPONTIGONVS.

Salvos sum: eccum, quem quaerebam! Quid agis, bone vir?

CVRCVLIO.

Audio.
Sis tribus bolis, vel in chlamydem.

THERAPONTIGONVS.

Quin tu is in malam crucem
Cum bolis, cum bullis? Reddin' etiam argentum aut virginem?

CVRCVLIO.

Quod tu argentum, quas mihi tricas narras? quam tu virginem
Me reposcis?

THERAPONTIGONVS.

Quam ab lenone abduxisti hodie, scelus viri.

CVRCVLIO.

Nullam abduxi.

THERAPONTIGONVS.

Certe eccistam video.

PHAEDROMVS.

Virgo haec libera est.

THERAPONTIGONVS.

Mean' ancilla libera ut sit, quam ego nunquam emisi manu?

PHAEDROMVS.

Quis tibi hanc dedit mancupio, aut unde emisti? fac sciam.

THERAPONTIGONVS.

Ego quidem prod istac rem solvi ab trapezita meo,
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone auferam!

PHAEDROMVS.

Qui scias mercari furtivas atque ingenuas virgines,
Ambula in ius!

THERAPONTIGONVS.

Non.

PHAEDROMVS.

Licet ted antestari?

THERAPONTIGONVS.

Non licet.

PHAEDROMVS.

Iupiter te, male, male perdat! intestatus vivito!

CVRCVLIO.

At ego, quem licet, te . . . .

PHAEDROMVS.

Accede huc.

THERAPONTIGONVS.

Servom antestari? vide!

CVRCVLIO.

Hem, ut scias, me liberum esse!

THERAPONTIGONVS.

Ergo ambula in ius! hem tibi!

CVRCVLIO.

Cives, o cives!

THERAPONTIGONVS.

Quid clamas?

PHAEDROMVS.

Quid tibi istum tactio est?

THERAPONTIGONVS.

Quia mihi lubitum est!

PHAEDROMVS.

Accede huc, tu! Ego illum tibi dedam: tace.

CVRCVLIO.

Phaedrome, obsecro, serva me!

PHAEDROMVS.

Tamquam me et genium meum!
Miles, quaeso, uti mihi dicas, unde illum habeas anulum,
Quem parasitus hic te elusit.

PLANESIVM.

Per tua genua te obsecro,
Vt nos facias certiores!

THERAPONTIGONVS.

Quid istuc ad vos attinet?
Quaeratis chlamydem et machaeram hanc, unde ad me pervenerit!

CVRCVLIO.

Vt fastidit gloriosus!

THERAPONTIGONVS.

Mitte istum: ego dicam omnia.

CVRCVLIO.

Nihil est, quod illic dicit.

PLANESIVM.

Fac me certiorem, te obsecro! i. t.

THERAPONTIGONVS.

Ego dicam. Surge! Hanc rem agite atque animum advortite! i. s.
Pater meus habuit Periphanes, Planesium.
Is, priusquam moritur, mihi dedit, tamquam suo,
Vt aequom fuerat, filio . . . .

PLANESIVM.

Proh. Iupiter!

THERAPONTIGONVS.

Et ipse heredem me facit.

PLANESIVM.

Pietas mea,
Serva me, quando ego te servavi sedulo!
Frater mi, salve!

THERAPONTIGONVS.

Qui istuc ego credam? Cedo,
Si vera memoras, quae fuit mater tua?

PLANESIVM.

Cleobula.

THERAPONTIGONVS.

Nutrix quae fuit?

PLANESIVM.

Archestrata.
Ea me spectatum tulerat per Dionysia.

Postquam illo ventum est, iam, ut me conlocaverat:
Exoritur ventus turbo; spectacla ibi ruont;
Ego pertimesco: tum ibi me nescio qui arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam nec mortuam;
Nec, quo me pacto abstulerit, possum dicere.

THERAPONTIGONVS.

Memini, istanc turbam fieri. Sed tum dic mihi,
Vbi is est homo, qui te subripuit?

PLANESIVM.

Nescio;
Verum hunc servavi semper mecum una anulum.
Cum hoc olim perii.

THERAPONTIGONVS.

Cedo, ut inspiciam.

CVRCVLIO.

Sanan' es,
Quae isti conmittas?

PLANESIVM.

Sine modo.

THERAPONTIGONVS.

Proh Iupiter,
Hic est, quem ego tibi misi natali die.
Tam facile novi, quam me. Salve, mea soror!

PLANESIVM.

Frater mi, salve!

PHAEDROMVS.

Deos volo bene vortere
Istanc rem vobis!

CVRCVLIO.

At ego nobis omnibus:
Tu ut hodie adveniens caenam des sororiam;
Hic nuptialem cras dabit. Promittimus.

PHAEDROMVS.

Tace tu!

CVRCVLIO.

Non taceo, quando res vortit bene.
Tu istanc desponde huic, miles: ego dotem dabo.

THERAPONTIGONVS.

Quid dabis?

CVRCVLIO.

Egone? Vt semper, dum vivat, me alat.

THERAPONTIGONVS.

Verum hercle dico: me lubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas.

PHAEDROMVS.

Quamobrem istuc?

THERAPONTIGONVS.

Quia ille ita repromisit mihi,
Si quisquam hanc liberali adseruisset manu,
Sine controversia omne argentum reddere.

PHAEDROMVS.

Nunc eamus ad lenonem.

THERAPONTIGONVS.

Laudo.

PHAEDROMVS.

Hoc prius volo,
Meam rem, agere.

THERAPONTIGONVS.

Quid id est?

PHAEDROMVS.

Vt mihi hanc despondeas.

CVRCVLIO.

Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?

THERAPONTIGONVS.

Si haec volt.

PLANESIVM.

Mi frater, cupio.

THERAPONTIGONVS.

Fiat.

CVRCVLIO.

Bene facis.

PHAEDROMVS.

Spondesne, miles, mi hanc uxorem?

THERAPONTIGONVS.

Spondeo.

CVRCVLIO.

Et ego hunc alumnum spondeo.

THERAPONTIGONVS.

Lepide facis.

Sed eccum lenonem, incedit, thesaurum meum.

CAPPADOX. THERAPONTIGONVS. PHAEDROMVS. PLANESIVM.

CAPPADOX.

Argentariis male credi qui aiunt, nugas praedicant; t. t. c. V, 3.
Nec bene nec male credi dico: id adeo ego hodie expertus sum:
Non male creditur, qui nunquam reddunt, sed prorsum perit.
Velut decem minas dum hic solvit, omnis mensas transiit;

Postquam nil fit, clamore hominem posco; ille in ius me vocat;
Pessume metui, ne mi hodie apud praetorem solveret;
Verum amici conpulerunt: reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum est.

THERAPONTIGONVS.

Heus tu, leno, te volo.

PHAEDROMVS.

Et ego te volo.

CAPPADOX.

At ego vos nolo ambo.

THERAPONTIGONVS.

Sta, sis, eloco
Atque argentum propere propera vomere!

CAPPADOX.

Quid tecum est mihi aut
Tecum autem?

THERAPONTIGONVS.

Hodie ex te quia faciam pilum catapultarium,
Ac quia te nervo torquebo itidem ut catapultae solent.

PHAEDROMVS.

Deligatum te hodie faciam cum catello ut adcubes;
Ferreum ego dico.

CAPPADOX.

At ego vos ambo in robusto carcere
Vt pereatis!

THERAPONTIGONVS.

Collum obstringe! abduce istum in malam crucem!

PHAEDROMVS.

Quidquid est, ipse ibit potius.

CAPPADOX.

Proh deum atque hominum fidem,
Hoccine pactod indemnatum atque intestatum me abripi?
Obsecro, Planesium, et te, Phaedrome, auxilium ut feratis! t. t.

PLANESIVM.

Frater, obsecro te, noli hunc indemnatum perdere! t. t. c.
Bene et pudice me domi habuit.

THERAPONTIGONVS.

Haud voluntate id sua: i. t.
Aesculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam: t. t. c.
Nam is si valuisset, iampridem, quoquo posset, mitteret.

PHAEDROMVS.

Animum advortite, si potissum hoc inter vos conponere.
Mitte istunc! Accede huc, leno! Dicam meam sententiam,
Si quidem voltis, quod decrero, facere.

THERAPONTIGONVS.

Tibi permittimus.

CAPPADOX.

Dum quidem hercle ita iudices, ne quisquam a me argentum auferat.

THERAPONTIGONVS.

Quodne promisti?

CAPPADOX.

Qui promisi?

PHAEDROMVS.

Lingua.

CAPPADOX.

Eadem nunc nego.
Dicundi haec, non rem perdundi, gratia nata est mihi.

THERAPONTIGONVS.

Nihil agit: collum obstringe homini!

CAPPADOX.

Iamiam faciam, ut iusseris.

THERAPONTIGONVS.

Quando vir bonus es, responde, quod rogo.

CAPPADOX.

Roga, quod lubet.

THERAPONTIGONVS.

Promistin', hanc liberali si quisquam adsereret manu,
Te omne argentum redditurum?

CAPPADOX.

Non conmemini dicere.

THERAPONTIGONVS.

Quid? negas?

CAPPADOX.

Nego hercle vero. Quo praesente? quo in loco?

THERAPONTIGONVS.

Me ipso praesente et trapezita Lycone.

CAPPADOX.

Non taces?

The-

THERAPONTIGONVS.

Non taceo.

CAPPADOX.

Non ego te floccifacio, ne me territes.

THERAPONTIGONVS.

Me ipso praesente et Lycone factum est.

PHAEDROMVS.

Satis credo tibi.
Nunc adeo, ut tu scire poſsis, leno, meam sententiam:
Libera haec est; hic huius frater; haec autem illius soror;
Haec mihi nubet: tu huic argentum redde! Hoc iudicium meum est;
Tu autem in nervo iam iacebis, nisi mi argentum redditur.

CAPPADOX.

Hercle istanc rem iudicasti perfidiose, Phaedrome.
Et tibi oberit, et te, miles, di deaeque perduint!
Tu me sequere!

THERAPONTIGONVS.

Quo sequar ego te?

CAPPADOX.

Ad trapezitam meum,
Ad praetorem: nam inde rem solvo omnibus, quibus debeo.

THERAPONTIGONVS.

Ego te in nervom, haud ad praetorem, hinc rapiam, ni argentum refers!

CAPPADOX.

Ego te vehementer perire cupio, ne me nescias!

THERAPONTIGONVS.

Itane vero?

CAPPADOX.

Ita hercle vero!

THERAPONTIGONVS.

Novi ego hos pugnos meos.

CAPPADOX.

Quid tum?

THERAPONTIGONVS.

Quid tum? rogitas? Hisce ego, si tu me inritaveris,
Placidum te hodie reddam!

CAPPADOX.

Age, ergo recipe actutum.

THERAPONTIGONVS.

Licet.

PHAEDROMVS.

Tu apud me coenabis, miles: hodie fient nuptiae.

THERAPONTIGONVS.

Quae res bene vortat mi et vobis! Spectatores, plaudite.

EPIDICVS.

ARGVMENTVM.

Emit fidicinam, filiam credens, senex
Persuasu servuli; atque is conducticiam
Iterum pro amica ei subiecit; filio
Dat herili argentum; eo sororem destinat
Imprudens iuvenis. Mox compressae ac militis
Cognoscit opera sibi senex os sublitum
(Vt ille amicam, haec quaeritabat filiam);
Sed inventa gnata servulum emittit manu.

DRAMATIS PERSONAE.

EPIDICVS.
THESPRIO.
STRATIPPOCLES.
CHAERIBVLVS.
APOECIDES.
PERIPHANES.
MILES.
PHILIPPA.
VIRGO.
FIDICINA.
DANISTA.
GREX.

EPIDICVS. THESPRIO.

EPIDICVS.

Heus, adulescens!

THESPRIO.

Quis properantem me prehendit pallio? t. t. c. I, 1.

EPIDICVS.

Familiaris.

THESPRIO.

Fateor: nam odio es nimium familiariter.

EPIDICVS.

Respice vero, Thesprio!

THESPRIO.

Vah, Epidicumne ego conspicor?

EPIDICVS.

Certe oculis utere.

THESPRIO.

Salve.

EPIDICVS.

Di dent, que velis. i. s.

Venire salvom gaudeo.

THESPRIO.

Quid ceterum?

EPIDICVS.

Quod coadsolet: i. t. s.

Coena tibi dabitur.

THESPRIO.

Spondeo.

EPIDICVS.

Quid?

THESPRIO.

Me accepturum, si dabis.

EPIDICVS.

Quid tu? agis, ut velis.

THESPRIO.

Exemplum adest.

EPIDICVS.

Intellego. Eugepae, t. t. c.

Corpulentior videre atque habitior!

THESPRIO.

Huic gratia.

EPIDICVS.

Quam quidem te iamdiu deperdidisse oportuit.

THESPRIO.

Minus iam sum furtificus, quam antehac.

EPIDICVS.

Quid ita?

THESPRIO.

Rapio propalam.

EPIDICVS.

Di inmortales te infelicent, ut tu es gradibus grandibus!

Nam ut apud portum te conspexi, curriculo occoepi sequi:

Vix apiscendi potestas modo fuit.

THESPRIO.

Scurra es.

EPIDICVS.

Scio,

Te esse quidem hominem militarem.

THESPRIO.

Audacter quamvis dicito.

EPIDICVS.

Quid ais? perpetuon' valuisti?

THESPRIO.

Varie.

EPIDICVS.

Qui varie valent,

Caprigenum hominum non placet mihi neque pantherinum genus.

THESPRIO.

Quid tibi vis dicam, nisi, quod est?

EPIDICVS.

Vtilia responses probe. i. t.

Quid herilis noster filius? valet?

THESPRIO.

Pugilice atque athletice.

EPIDICVS.

Voluptabilem mihi nuntium tuo adventu attulisti. i. t. c.

Sed ubi is est?

THESPRIO.

Adveni simul.

EPIDICVS.

Vbi is ergo est, nisi si in vidulo, t. t. c.

Aut si in melina attulisti?

THESPRIO.

Di te perdant!

EPIDICVS.

Te volo

Percontarier. Operam dato: opera reddetur tibi.

THESPRIO.

Ius dicis.

EPIDICVS.

Me decet.

THESPRIO.

Iam tu autem nobis praeturam geris? i. t.

EPIDICVS.

Quem dices hominem digniorem esse hodie Athenis alterum?

THESPRIO.

At unum a praetura tuad, Epidice, abest.

EPIDICVS.

Quidnam?

THESPRIO.

Scies:

Lictores duo, duo viminei fasces virgarum.

EPIDICVS.

Vae tibi!

Sed quid aiis?

THESPRIO.

Quid rogas?

EPIDICVS.

Vbi arma sunt Stratippocli? t. t. e.

THESPRIO.

Pol illa ad hostis trafugerunt.

EPIDICVS.

Armane?

THESPRIO.

Atque quidem cito. i. t.

EPIDICVS.

Serione dicis tute?

THESPRIO.

Serio, inquam, hostes habent. t. t. e.

EPIDICVS.

Edepol facinus inprobum!

THESPRIO.

At iam ante alii fecerunt item.
Erit illi illa res honori.

EPIDICVS.

Qui?

THESPRIO.

Quia antea aliis fuit.
Mulciber, credo, arma fecit, quae habuit Stratippocles:
Travolaverunt ad hostis.

EPIDICVS.

Tum ille prognatus Theti.
Sine, perdat: alia adportabunt eii Nerei filiae.
Id modo videndum est, ut materies suppetat scutariis, i. t.
Si in singulis stipendiis ad hostis exuvias dabit.

THESPRIO.

Supersede istis rebus iam.

EPIDICVS.

Tu ipse, ubi lubet, finem face.

THESPRIO.

Desiste percontarier.

EPIDICVS.

Loquere, ipse ubi est Stratippocles.

THESPRIO.

Est causa, qua causa simul mecum ire veritust.

EPIDICVS.

Quidnam id est?

THESPRIO.

Patrem videre se nevolt etiam nunc.

EPIDICVS.

Quapropter?

THESPRIO.

Scies:

Quia forma lepida et liberali captivam adulescentulam

De praeda mercatust.

EPIDICVS.

Quid ego ex ted audio?

THESPRIO.

Hoc, quod fabulor.

EPIDICVS.

Cur eam emit?

THESPRIO.

Animi causa.

EPIDICVS.

Quot illic homo animos habet? t. t. c.

Nam certo, priusquam hinc ad legionem abiit domo, i. s.

Ipsus mandavit mi, ab lenone ut fidicina,

Quam amabat, emeretur sibid. Id ei inpetratum reddidi. i. t.

THESPRIO.

Vtcunque in alto ventust, Epidice, exin velum vortitur. i. t.

EPIDICVS.

Vae misero mihi! male perdidit me!

THESPRIO.

Qui? istuc quidnam est? i. tr. h.

EPIDICVS.

Quid? istanc, quam emit, quanti eam emit?

THESPRIO.

Vili.

EPIDICVS.

Haud istuc te rogo. i. t.

THESPRIO.

Redde igitur.

EPIDICVS.

Quot mnis?

THESPRIO.

Tot.

EPIDICVS.

Quadraginta minis! i. s.

THESPRIO.

Id adeo argentum ab danista apud Thebas sumsit foenore, t. t. c.
In dies minasque argenti singulas numis.

EPIDICVS.

Papae!

THESPRIO.

Et is danista advenit una cum eo, qui argentum petit. i. t.

EPIDICVS.

Di inmortales, ut ego interii basilice!

THESPRIO.

Quid iam, aut quid est, t. t. c.
Epidice?

EPIDICVS.

Perdidit me!

THESPRIO.

Quis?

EPIDICVS.

Quis? Ille, qui arma perdidit.

THESPRIO.

Nam quid ita?

EPIDICVS.

Quia cotidie ipse ad me ab legione epistolas i. t.
Mittebat . . . . Sed taceam optumum est. Plus scire satiust, quam loqui,
Servom hominem; ea sapientia est.

THESPRIO.

Nescio edepol, quid timidus trepidas, as. ex t. d. et i. d. c.
Epidice. Ita voltum tuom video: videre conmeruisse,
Hinc me absente, in te aliquid mali.

EPIDICVS.

Potin', ut molestus ne sis?

THESPRIO.

Abeo.

EPIDICVS.

Adsta! abire hinc non sinam.

THESPRIO.

Quid nunc me retines? i. tr. h.

EPIDICVS.

Amatne istam, quam emit de praeda? b. tr.

THESPRIO.

Rogitas? Deperit . . .

EPIDICVS.

Degetur corium de tergo meo! t. t. e.

THESPRIO.

Plusque amat, quamde unquam amavit.

EPIDICVS.

Iupiter te perduit!

THESPRIO.

Mitte nunc ïam; nam illic me vetuit domum venire; as. ex t. d. et i. d. c.
Ad Chaeribulum iussit huc in proxumum: i. s.
Ibi manere iussit: eo venturust ipsus.

EPIDICVS.

Quid ita?

THESPRIO.

Dicam. t. t.
Quia patrem prius convenire se nevolt neque conspicari,
Quam id argentum, quod debetur pro illa, denumeraverit. t. t. c.

EPIDICVS.

Heu edepol res turbulentas!

THESPRIO.

Mitte me: ut eam nunc ïam.

EPIDICVS.

Haeccine ubi scibit senex, puppis pereunda est probe? as. ex t. d. et i. d. br.

THESPRIO.

Quid istuc ad med attinet, quo tute intereas modo?

EPIDICVS.

Quia perire solus nolo; te cupio perire mecum, t. t.
Benevolens cum benevolente.

THESPRIO.

Abi in malam rem maxumam a me
Cum istac conditione.

EPIDICVS.

I sane, si quid festinas magis. t. t. c.

THESPRIO.

Nunquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentius.

EPIDICVS.

Ille hinc abiit: solus es nunc. Quo in loco haec res sit, vides,
Epidice. Nisi quid tibi in tete auxili est: absumtus es.
Tantae in te inpendent ruinae, nisi subfulcis firmiter,
Non potes subsistere, itaque in te inruont montes mali.
Neque, ego nunc me quomodo expeditum ex inpedito faciam, t. t.
Consilium placet. Ego miser meis perpuli senicem dolis, t. t. c.
Vt censeret, suam sese emere filiam: is suo filio
Fidicinam emit, quam ipse amabat, quam abiens mandavit mihi.
Is nunc alteram ab legione amiculam adduxit sibi
Animi causa. Corium perdidi: nam ubi senex senserit,
Sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum. —

At enim tu praecave! — Nihil istuc! plane hoc conruptum est caput! i. t.
Nequam homo es, Epidice. — Qui tibi lubido est male loqui? — t. t. c.
Quia tu tete deseris. — Quidnam faciam? — Men' tu rogas?
Tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua.
Quidquid aliqua reperiundum est. — Sed ego cesso ire obviam
Adulescenti, ut, quid negoti sit, sciam? Atque ipse illic est.
Tristis est. Cum Chaeribulo incedit aequali suo.
Huc concedam, orationem unde horum placide persequar.

STRATIPPOCLES. CHAERIBVLVS. EPIDICVS.

STRATIPPOCLES.

Rem tibi sum elocutus omnem, Chaeribule, atque admodum t. t. c. I, 2
Meorum moerorum atque amorum summam edictavi tibi.

CHAERIBVLVS.

Praeter aetatem et virtutem stultus es, Stratippocles.
Idne pudet te, quia captivam, genere prognatam bono,
In praeda es mercatus? Quis erit, vitio qui id vortat tibi?

STRATIPPOCLES.

Qui vident, omnis inimicos mi istoc facto reperi:
At pudicitiae eius nunquam nec vim nec vitium attuli.

CHAERIBVLVS.

Iam istoc probior meo quidem animo, quom in amore temperes.

STRATIPPOCLES.

Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur; sed is
Est amicus, qui in re dubia re iuvat, ubi re est opus.

CHAERIBVLVS.

Quid tibi me vis facere?

STRATIPPOCLES.

Argenti dare quadraginta minas,
Quod danistae detur, unde ego illud sumsi foenore.

CHAERIBVLVS.

Si hercle haberem: non negarem.

STRATIPPOCLES.

Nam quid te igitur retulit
Beneficum esse oratione, si ad rem auxilium ecmortuom est?

CHAERIBVLVS.

Quin edepol egomet clamore defatigor, differor.

STRATIPPOCLES.

Malim istiusmodi mi amicos furno mersos, quam foro!
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim,
Quem quidem ego hominem inrigatum plagis pistori dabo,
Nisi hodie prius cônparassit mihi quadraginta minas,

Quam argenti elocutus fuvero ei postremam syllabam.

EPIDICVS.

Salva res est: bene promittit; spero, servabit fidem.
Sine meo sumtu paratae iam sunt scapulis symbolae.
Adgrediar hominem. Advenientem peregre herum Stratippoclem
Salvad inpartit salute servos Epidicus.

STRATIPPOCLES.

Vbi is est?

EPIDICVS.

Adest. Salvom te gaudeo huc advenisse. b. t.

STRATIPPOCLES.

Tam tibi istuc credo, quam mihi. t. d.

EPIDICVS.

Benene usque valuisti?

STRATIPPOCLES.

A morbo valui, ab animo aeger fui.

EPIDICVS.

Quod ad me attinuit, ego curavi, quod mandavisti mihi:
Inpetratum est: emta ancilla est, quod tute ad me literas
Missiculabas.

STRATIPPOCLES.

Perdidisti omnem operam.

EPIDICVS.

Nam qui perdidi?

STRATIPPOCLES.

Quia meo neque cara est cordi neque placet.

EPIDICVS.

Quid retulit,
Mihi tantopere te mandare et mittere ad me epistolas?

STRATIPPOCLES.

Illam amabam olim; nunc iam alia cura inpendet pectori.

EPIDICVS.

Hercle miserum est, ingratum esse homini id, quod tu facias bene.
Ego quod benefeci, malefeci: quia amor mutavit locum.

STRATIPPOCLES.

Desipiebam mentis, quom illas scriptas mittebam tibi.

EPIDICVS.

Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,
Vt meum tergum tuae stultitiae subdas succidaneum?

STRATIPPOCLES.

Quid istic verba facimus? Huic homini opus quadraginta minis
Celeriter calidis, danistae quas resolvas, et cito.

EPIDICVS.

Dic modo, unde auferre vis me. A quo trapezita peto?

CHAERIBVLVS.

Vnde lubet. Nam ni ante solem occasum elicies: meam domum ne t. t.
Inbitas; tute in pistrinum . . . .! t. d.

EPIDICVS.

Facile tu istuc sine periclo et cura, corde libero, t. t. c.

Fabulare; novi ego nostros: mihi dolet, quom ego vapulo.

STRATIPPOCLES.

Quid tu nunc? Patierin', ut ego me interimam?

EPIDICVS.

Ne feceris.
Ego istuc accedam periclum potius atque audaciam.

STRATIPPOCLES.

Nunc places; nunc ego te laudo.

EPIDICVS.

Patiar ego istuc quodlubet.

STRATIPPOCLES.

Quid de illa fiet fidicina igitur?

EPIDICVS.

Aliqua res reperibitur; i. t.
Aliqua ope exsolvam, extricabor aliqua.

STRATIPPOCLES.

Plenus consili es: t. t. c.
Novi ego te.

EPIDICVS.

Est Euboïcus miles locuples, multo auro potens,
Qui, ubi tibi istam emtam esse scibit atque hanc adductam alteram,
Continuo te orabit ultro, ut illam tramittas sibi.
Sed ubi illa est, quam tu adduxisti tecum?

STRATIPPOCLES.

Iam faxo hic erit.

CHAERIBVLVS.

Quid hic nunc agimus?

STRATIPPOCLES.

Eamus intro huc ad te: ut hunc hodie diem
Luculente habeamus.

EPIDICVS.

Ite intro: ego de re argentaria
Iam senatum convocabo in corde consiliarium,
Quoi potissumum indicatur bellum, unde argentum auferam. —
Epidice, vide, quid agas: ita res subito haec obiecta est tibi.
Non enim nunc tibi dormitandum neque cunctandi copia est.
Adeundum est! Senem oppugnare certum est consilium! I, i! abi
Intro atque adulescenti dic iam nostro herili filio,
Ne hinc foras ambulet neve uspiam obviam veniat seni.

APOECIDES. PERIPHANES.

APOECIDES.

Plerique homines, nihil quom refert, pudent; as. ex c. d. et t. h. II, 1.
Vbi pudendum est, ibi eos deserit pudor,
Quom usust, ut pudeant. c. d. c.
Is adeo tu es. Quid est, quod pudendum sit, as. ex c. d. et t. h.
Genere natam bono pauperem domum
Ducere uxorem? c. d. c.
Praesertim eam, qua ex tibi commemores as. ex 2. i. h.
Hanc, quae domi est, filiam prognatam?

PERIPHANES.

Revereor filium.

APOECIDES.

At pol ego te credidi u- c. t.
xorem, quam tu extulisti, pudore exsequi.
Quoius quotiens sepulcrum vides, sacruficas
Ilico Orco hostiis, neque adeo iniuria,
Quia videndo tibi licitum eam est vincere.

PERIPHANES.

Oh,
Hercules ego fui, dum illa mecum fuit;
Neque sexta aerumna acerbior Herculi quam mi
illa obiecta est. i. t. c.

APOECIDES.

Pulcra edepol dos pecunia est.

PERIPHANES.

Quae quidem pol non maritata est.

EPIDICVS. APOECIDES. PERIPHANES.

EPIDICVS.

Attat, tacete! habete animum bonum: liquido exeo
foras i. t. II, 2.
Auspicio, avi sinistra: i. d. c.
Acutum cultrum habeo, senis qui exenterem mar-
supium! i. t.
Sed eccum ipsi ante aedis conspicor, qualis
volo, vetulos duo!

Iam ego me convortam in hirudinem atque eorum exsugebo sanguinem,
Senati qui columen cluent! i. d.

APOECIDES.

Continuo ut maritus fiat.

PERIPHANES.

Laudo consilium tuom. t. t. c.

APOECIDES.

Nam illum audivi in amorem haerere apud nescio quam fidicinam.

PERIPHANES.

Id ego excrucior,

EPIDICVS.

Di hercle me omnes adiuvant, augent, amant:
Ipsi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab se argentum auferam. i. s.
Age nunc iam orna te, Epidice, et palliolum in collum coniice
Itaque adsimulato, quasi per urbem totam hominem quaesiveris!
Age, si quid agis! — Di inmortales, utinam conveniam domi t. t. c.
Periphanem; quem omnem per urbem sum defessus quaerere,
Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio atque in foro,
Per myropolia et lanienas circumque argentarias!
Rogitando sum raucus factus; pene in cursu concidi.

PERIPHANES.

Epidice!

EPIDICVS.

Epidicum quis est qui revocat?

PERIPHANES.

Ego sum, Periphanes.

APOECIDES.

Et ego Apoecides sum.

EPIDICVS.

Et ego quidem sum Epidicus. Sed, here, optuma
Vos video opportunitate ambo advenire.

PERIPHANES.

Quid rei est?

EPIDICVS.

Mane, mane! sine respirem, quaeso!

PERIPHANES.

Imo adquiesce.

EPIDICVS.

Animo male est:
Recipiam anhelitum.

APOECIDES.

Clementer requiesce.

EPIDICVS.

Animum advortite!
Ab legione omnes missi sunt Thebis domum. i. s.

APOECIDES.

Sic factum est?

EPIDICVS.

Ego ita esse factum dico.

PERIPHANES.

Scin' tu istuc?

EPIDICVS.

Scio. t. t. e.

PERIPHANES.

Qui tu scis?

EPIDICVS.

Quia ego ire vidi milites plenis viis.
Arma referunt et iumenta ducunt.

PERIPHANES.

Nimis factum bene!

EPIDICVS.

Tum captivorum quid ducunt secum! pueros, virgines
Binos, ternos; alius quinque; fit concursus per vias;
Filios suos quisque visunt.

PERIPHANES.

Hercle rem gestam bene!

EPIDICVS.

Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit,
Obviam ornatae occurrebant suis quisquis amatoribus;
Eos captabant adeo. Scin', qui?

PERIPHANES.

Maxume animum advorterim.

EPIDICVS.

Pleraeque haec sub vestimentis secum habebant retia.
Quom venio ad portum, atque illam illi ego video praestolarier,
Et cum ea tibicinae ibant quatuor.

PERIPHANES.

Quicum, Epidice?

EPIDICVS.

Cum illa, quam tuos gnatus annos multos deamat, deperit,
Vbi fidemque remque seque teque properat perdere.
Ea praestolabatur illum apud portum.

PERIPHANES.

Vide veneficam!

EPIDICVS.

Sed vestita, aurata, ornata, ut lepide, ut concinne, ut nove!

PERIPHANES.

Quid erat induta? an regillam inducula, an mendiculam?

EPIDICVS.

Inpluviatam, ut istaec faciunt vestimentis nomina.

PERIPHANES.

Vt? in inpluvium induta erat?

EPIDICVS.

Quid istuc est mirabile?
Quasi non fundis exornatae multae incedant per vias.
At tributus quom inperatus est, negant pendi potesse; t. t.
Illis, quibus tributus maior penditur, pendi potest. t. t. c.

PERIPHANES.

Quid ita?

EPIDICVS.

Quia vesti quotannis nomina inveniunt nova:
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium,
Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,

Subparum aut subminiam, ricam, basilicum aut exoticum.
Cumatile aut plumatile, cerinum aut gerrinum. Gerrae maxumae!
Cani quoque etiam ademtum nomen.

PERIPHANES.

Qui?

EPIDICVS.

Vocant Laconicum. i. t.
Haec vocabula auctiones subigunt ut faciant viri. t. t. c.

PERIPHANES.

Quin tu, ut occepisti, eloquere.

EPIDICVS.

Occepere aliae mulieres
Duae post me sic fabulari inter se; ego abscessi solens
Paulum ab iis; dissimulabam, harum me sermoni operam dare;
Nec satis exaudibam nec sermonis fallebar tamen,
Quae loquerentur.

PERIPHANES.

Id lubido est scire.

EPIDICVS.

Ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipsa ibat . . . .

PERIPHANES.

Quid?

EPIDICVS.

Tace ergo: ut audias.
Postquam illanc sunt conspicatae, quam tuos gnatus deperit:

„Quam facile et quam fortunate, obsecro, illi evenit mulieri, i. t.
Quam liberare volt amator!“ — „Quisnam is?“ inquit altera.
Illa ibi nominat Stratippoclem, Periphanae filium. t. t. c.

PERIPHANES.

Perii hercle, quid ego ex te audio? i. d.

EPIDICVS.

Hoc, quod actum. Egomet post, ubi illas audivi loqui, t. t. c.
Coepi rursum vorsum ad illas pauxillatim accedere,
Quasi retruderet hominum me vis invitum.

PERIPHANES.

Intellego.

EPIDICVS.

Ibi illa interrogavit aliam: „Qui scis? qui id dixit tibi?“ — i. t.
„Quia hodie adlatae tabellae sunt ad eam a Stratippocle: t. t. c.
Argentum eum sumsisse apud Thebas ab danista foenore;
Id paratum et sese ob eam rem id ferre.“

PERIPHANES.

Cedo, egon' occidi?

EPIDICVS.

Haec sic aibat; sic audivisse ab sese atque ab epistola.

PERIPHANES.

Quid ego faciam nunc? Consilium a te expetesso, Apoecides.

APOECIDES.

Reperiamus aliquid calidi conducibilis consili:
Nam ille quidem aut iam hic aderit, credo hercle, aut iam adest.

EPIDICVS.

Si aequom siet,
Me plus sapere quam vos: dederim vobis consilium catum,
Quod laudetis, ut ego opino, uterque . . . .

PERIPHANES.

Ergo ubi id est, Epidice?

EPIDICVS.

Atque ad eam rem conducibile.

APOECIDES.

Quid istuc dubitas dicere?

EPIDICVS.

Vos priores esse oportet, nos posterius dicere,
Qui plus sapitis.

PERIPHANES.

Heia vero! Age, dice!

EPIDICVS.

At deridebitis.

APOECIDES.

Non edepol faciemus.

EPIDICVS.

Imo si placebit, utitor
Consilium; si non placebit, reperitote rectius.
Mi istic nec seritur nec metitur; nisi ea, quae tu vis, volo.

PERIPHANES.

Gratiam habeo. Fac participes nos tuae sapientiae.

EPIDICVS.

Continuo arbitretur uxor tuo gnato; atque ut fidicinam
Illam, quam is volt liberare, quae illum conrumpit tibi,
Vlciscare; atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat.

APOECIDES.

Fieri oportet.

PERIPHANES.

Facere cupio quidvis, dum id fiat modo.

EPIDICVS.

Hem,
Nunc occasio est faciundi, priusquam in urbem advenerit,
Sicut cras hic aderit; hodie non veniet.

PERIPHANES.

Qui scis?

EPIDICVS.

Scio,
Quia mihi alius dixit, qui illinc venit, mane hic adfore.

PERIPHANES.

Quin tu eloquere: quid faciemus?

EPIDICVS.

Sic faciundum censeo,
Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia,
Quasique ames vehementer tu illam.

PERIPHANES.

Quam ad rem istuc refert?

EPIDICVS.

Rogas?

Vt enim praestines argento, priusquam veniat filius,
Atque ut eam te in libertatem dicas emere . . . .

PERIPHANES.

Intellego.

EPIDICVS.

Vbi erit emta, ut aliquo ex urbe amoveas; nisi si quid tua
Secus sententia.

PERIPHANES.

Imo docte.

EPIDICVS.

Quid tute autem, Apoecides?

APOECIDES.

Quid ego nam, nisi, te commentum nimis astute, intellego?

EPIDICVS.

Iamiam igitur amota ei erit omnis consultatio
Nuptiarum, ne gravetur, quod velis.

APOECIDES.

Vive, ut sapis
Et placet!

EPIDICVS.

Tum tu igitur calide, quidquid acturus's, age.

PERIPHANES.

Rem hercle loquere.

EPIDICVS.

Et reperi, haec qui abscedat te suspicio.

PERIPHANES.

Sine me scire.

EPIDICVS.

Scibis: audi.

APOE-

APOECIDES.

Sapit hic pleno pectore.

EPIDICVS.

Opus est homine, qui illo argentum deferat pro fidicina:
Nam de lenone aeque opus facto est . . . .

PERIPHANES.

Quid iam?

EPIDICVS.

Ne te censeat
Fili causa facere . . . .

PERIPHANES.

Docte!

EPIDICVS.

Quo illum ab illa prohibeas:
Ne qua ob eam suspicionem difficultas evenat.

PERIPHANES.

Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem?

EPIDICVS.

Hic erit optumus:
Hic poterit cavere recte, iura qui et leges tenet.

APOECIDES.

Epidice, habeas gratiam. Sed ego istuc faciam sedulo.

EPIDICVS.

Ego illunc conveniam atque adducam huc ad te, quoia est fidicina;
Atque argentum ego cum hoc feremus.

PERIPHANES.

Quanti emi potis?

EPIDICVS.

Illane?

Ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minis;
Verum si plus dederis: referam. Nihil in ea re captio est.
Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.

PERIPHANES.

Quidum?

EPIDICVS.

Quia enim mulierem alius illam adulescens deperit,
Auro opulentus magnus miles, Rhodius, raptor hostium
Gloriosus; hic emet illam de te et dabit aurum lubens.
Face modo: est lucrum hic tibi amplum.

PERIPHANES.

Deos quidem orabo.

EPIDICVS.

Inpetras.

APOECIDES.

Quin tu is intro atque huic argentum promis? Ego visam ad forum.
Epidice, eo veni.

EPIDICVS.

Ne abbitas, priusquam ego ad te venero.

APOECIDES.

Vsque opperiar.

PERIPHANES.

Sequere tu intro.

EPIDICVS.

I, numera: nil ego te moror.

EPIDICVS.

Nullum esse opinor agrum ego indu agro Attico i. s. II, 3.
Aeque feracem, quam hic est noster Periphanes:
Quoine ex occluso atque obsignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet?
Quod pol ego metuo, si senex resciverit,
Ne ulmos parasitos faciat, quae usque attondeant.
Sed me una turbat res ratioque: Apoecidi
Qua fidicinam ostendam aliquam conductitiam. —
Atque id quoque habeo: mane me iussit senex
Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum:
Dum rem divinam faceret, cantaret sibi;
Ea conducetur atque ei praemonstrabitur,
Quo pacto fiat subdola advorsus senem.
Ibo intro: argentum accipiam ab damnoso sene.

STRATIPPOCLES. CHAERIBVLVS.

STRATIPPOCLES.

Expectando exedor miser atque exenteror, c. t. III, 1.
Quomodo mi Epidici blanda dicta evenant!
Nimis diu maceror, sitne quid necne sit!
Scire cupio! c. h.

CHAERIBVLVS.

Per illam copiam tibi copiam parare aliam licet. i. t.
Scivi equidem in principio eloco, nullam tibi esse in illo. i. t. c.

STRATIPPOCLES.

Interii hercle ego!

CHAERIBVLVS.

Absurde facis, qui angas te animi. b. t.
Si hercle illum ego semel prehendero: nunquam inridere as. ex 3 i. h.
Nos illum inultum sinam servom hominem! as. ex 2 i. h.

STRATIPPOCLES.

Quid illunc ferre vis, qui, tibi quoi divitiae domi maxumae sunt, t. t.
Is habes numum nullum nec sodali tuo in te copia est? t. t. c.

CHAERIBVLVS.

Si hercle habeam: pollicear lubens; verum aliquid aliqua aliquo modo i. t.
Alicunde ab aliqui aliqua tibi spest, mecum fore fortunam. i. t. c.

STRATIPPOCLES.

Vae tibi, muricida homo!

CHAERIBVLVS.

Qui tibi lubet mihi male loqui? t. t. c.

STRATIPPOCLES.

Quippe tu mihi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus
Blatis, quod nusquam est; neque ego id inmitto in auris meas, nec as. ex 3. i. h.
Mihi plus adiumenti ades, quam illic, qui nunquam etiam natust!

EPIDICVS. STRATIPPOCLES. CHAERIBVLVS.

EPIDICVS.

Fecisti iam officium tuom: me meum nunc facere oportet. i. t. c. III, 2
Per hanc curam quieto tibi licet esse: hoc quidem iam periit,
Ne quid tibi hinc in spem referas: hic oppido potitust!
Crede modo tu mihi: sic ego ago, sic egere nostri!
Proh di inmortales, mi hunc diem ut dedistis luculentum,
Vt facilem atque inpetrabilem! — Sed ego hinc migrare cesso,
Vt inportem in coloniam hunc auspicio conmeatum?
Mihi cesso, quom sto. — Sed quid hoc? Ante aedis duos sodalis,
Herum et Chaeribulum, conspicor. Quid hic agitis? Accipe hoc, sis!

STRATIPPOCLES.

Quantum hic inest?

EPIDICVS.

Quantum sat est et plus satis: supersit;
Decem minis plus attuli, quam tu danistae debes.
Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum floccifacio.

STRATIPPOCLES.

Nam quid ita?

EPIDICVS.

Quia ego tuom patrem faciam perenticidam.

STRATIPPOCLES.

Quid istuc est verbi?

EPIDICVS.

Nil moror vetula et volgata verba.
Peratim ductate; ast ego follitim ductitabo!
Nam leno omne argentum abstulit pro fidicina (ego resolvi; his
Manibus denumeravi), pater suam natam quam esse credit.
Nunc iterum ut fallatur pater tibique auxilium adparetur,
Inveni iam: ita suasi ego seni atque hanc habui orationem,
Vt, quom redisses, ne tibi eius copia esset, ...

STRATIPPOCLES.

Euge!

EPIDICVS.

Etiam tuam emundam pellicem esse.

STRATIPPOCLES.

Teneo.

EPIDICVS.

Nunc auctorem
Dedit mihi ad hanc rem Apoeciden (is apud forum manet me),
Quasi qui eam amet. Cavet!

STRATIPPOCLES.

Haud male!

EPIDICVS.

Iam ipse cautor captust;
Ipse in meo collo tuos pater crumenam conlocavit.
Is adornat, adveniens domi extemplo ut maritus fias.

STRATIPPOCLES.

Vno persuadebit modo: si illam, quae adducta est mecum,
Mihi ademsit Orcus.

EPIDICVS.

Nunc ego hanc astutiam institivi:
Deveniam ad lenonem domum egomet solus; eum docebo,
Si qui ad eum adveniant, ut sibi datum esse argentum dicat
Pro fidicina; argenti minae se habere quinquaginta;
Quippe ego quoi nudiustertius meis manibus denumeravi
Pro illa tua amica, quam pater suam filiam esse retur.
Ibi leno sceleratum caput suom inprudens adligabit,
Quasi pro illa argentum acceperit, quae tecum adducta nunc est.

CHAERIBVLVS.

Vorsutior es, quam rota figularis.

EPIDICVS.

Iam ego parabo
Aliquam dolosam fidicinam, numo conducta quae sit,
Quae se emtam simulet, quae senes duo docte ludificetur;
Eam ducet simul Apoecides ad tuom patrem.

STRATIPPOCLES.

Vt parate!

EPIDICVS.

Eam praemeditatam meis dolis astutiisque onustam

Mittam. Sed nimis longum loquor: diu me estis demorati.
Haec scitis iam ut futura sint: abeo.

STRATIPPOCLES.

Bene ambulato.

CHAERIBVLVS.

Nimis doctus ille est ad malefaciundum.

STRATIPPOCLES.

Me quidem certo
Servavit consiliis suis.

CHAERIBVLVS.

Abeamus intro hinc ad me.

STRATIPPOCLES.

Atque aliquanto lubentiús, quam abs te sum egressus intus.
Virtute atque auspicio Epidici cum praeda in castra redeo!

PERIPHANES. APOECIDES. SERVOS.

PERIPHANES.

Non oris causa modo homines aequom fuit i. s. III, 3.
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suom;
Sed, qui prospicere possent cor sapientia:
Igitur perspicere ut possent cordis copiam;
Vbi id inspexissent, cogitarent postea,
Vitam ut vixissent olim in adulescentia.
Vel quasi egomet quidem: fili causa coeperam

Ego med excruciare animi, quasi quid filius
Meus deliquisset me erga, aut quasi non plurima
Malefacta mea essent solida in adulescentia.
Profecto deliramus interdùm senes.
Fuit conducibile hoc mea quidem sententia.
Sed meus sodalis it cum praeda Apoecides.
Venire salvom mercatorem gaudeo.
Quid fit?

APOECIDES.

Di deaeque te adiuvant.

PERIPHANES.

Omen placet.

APOECIDES.

Quin' omine omnes suppetunt res prosperae?
Sed tute hanc intro iube, sis, abduci.

PERIPHANES.

Heus, foras
Exite huc aliquis! — Duce istam intro mulierem!
Atque . . . . audin'?

SERVOS.

Quid vis?

PERIPHANES.

Cave, sis, hanc cum filia
Mea copulari neque conspicere! Iam tenes?
In aediculam istanc seorsum concludi volo:
Divortunt mores virgini longe ac lupae.

APOECIDES.

Docte ac sapienter dicis: non nimis filiae
Servare quisquam suae pudicitiam potest.
Edepol nae istancce temperi gnato tuo
Sumus praemercati.

PERIPHANES.
Quid iam?
APOECIDES.
Quia dixit mihi
Iamdudum se alius tuom vidisse hic filium.
PERIPHANES.
Hanc edepol rem adparabat.
APOECIDES.
Plane hercle hoc quidem est.
Nae tu habes servom graphicum et quantivis preti!
PERIPHANES.
Non carust auro contra!
APOECIDES.
Vt ille fidicinam
Fecit nescire prorsus, se esse emtam tibi:
Ita ridibundam atque hilaram huc adduxit simul.
PERIPHANES.
Mirum, hoc qui potuit fieri.
APOECIDES.
Te pro filio
Facturum dixit rem esse divinam domi:
Quia Thebis salvos redierit.
PERIPHANES.
Recte institit.
APOECIDES.
Imo ipsus illi dixit, conductam esse eam,
Quae hic administret ad rem divinam tibi.
Ego illic me autem sic adsimulabam, quasi
Stolidum; quin bardum me faciebam.
PERIPHANES.
Imo ita decet.

APOECIDES.

Res magna amici apud forum agitur; ei volo
Ire advocatus.

PERIPHANES.

At, quaeso, ubi erit otium,
Revortere ad me extemplo.

APOECIDES.

Continuo hic ero.

PERIPHANES.

Nihil homini amico est opportuno amicius:
Sine tuo labore, quod velis, actum est tamen.
Ego si adlegavissem aliquem ad hoc negotium
Minus hominem doctum minusque ad hanc rem callidum:
Os sublitum esset, itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritissumo.
Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor,
Suam qui undantem chlamydem quassando facit?

MILES. PERIPHANES. FIDICINA.

MILES.

Cave praeterbitas ullas aedis, quin roges, i. s. III, 4.
Senex hic ubi habitat Periphanes Plothenius.
Incertus tuom cave ad me retuleris pedem.

PERIPHANES.

Adulescens, si istunc hominem, quem tu quaeritas,
Tibi conmonstrasso, ecquam abs te inibo gratiam?

MILES.

Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnis mortalis deceat agere gratias.

PERIPHANES.

Non reperisti, adulescens, tranquillum locum,
Vbi tuas virtutes explices, ut postulas:
Nam strenuiori si deterior praedicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae.
Sed istunc, quem quaeris, Periphanem Plothenium,
Ego sum, si quid vis.

MILES.

Nempe in adulescentia
Quem apud reges memorant armis, arte duellica,
Divitias magnas indeptum?

PERIPHANES.

Imo, si audias
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.

MILES.

Pol ego magis unum quaero, meas quoi praedicem,
Quam illunc, qui memoret suas mihi.

PERIPHANES.

Hic non est locus,
Quin tu alium quaeras, quoi centones sarcias.
— Atqui haec stultitia est, me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adulescentia,
Quom militabam: pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum auris, quando occoeperam. —

MILES.

Animum advorte: ut, quod ego ad te venio, intellegas.
Meam amicam audivi te esse mercatum.

PERIPHANES.

Attate,
Nunc demum scio ego hunc, qui sit: quem dudum Epidicus
Mihi praedicavit militem. — Adulescens, ita est,
Vt dicis: emi.

MILES.

Volo te verbis pauculis,
Si tibi molestum non est.

PERIPHANES.

Non edepol scio,
Molestum, an non, est, nisi si dicis, quid velis.

MILES.

Mihi illam uti tramittas, argentum accipias.

PERIPHANES.

Habeas.

MILES.

Nam quid ego apud te parcam proloqui?
Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quae sit.

PERIPHANES.

Te absolvam brevi.
Argenti quinquaginta mi illa emta est minis;
Si sexaginta mihi denumerantur minae:
Tuas pol sedebit mulier faxo ferias;
Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro.

MILES.

Estne emta haec mi?

PERIPHANES.

Istis legibus habeas licet.
Pulcre conciliasti. Heus, foras educite,
Quam introduxistis, fidicinam! Atque etiam fides,

Ei quae accessere, tibi addam dono gratiis.
Age, accipe hanc, sis.

MILES.

Quae te intemperiae tenent?
Quas tu mihi tenebras trudis? Quin tu fidicinam
Produci intus iubes?

PERIPHANES.

Haec ergo est fidicina.
Hic alia nulla est.

MILES.

Non mihi nugari potes.
Quin tu huc producis fidicinam Acropolistidem?

PERIPHANES.

Haec, inquam, est.

MILES.

Non haec, inquam, est! Non novisse me
Meam rere amicam posse?

PERIPHANES.

Hanc, inquam, filius
Meus deperibat fidicinam.

MILES.

Haec non est ea.

PERIPHANES.

Quid? non est?

MILES.

Non est.

PERIPHANES.

Vnde haec igitur gentium est?
Equidem hercle argentum pro hac dedi.

MILES.

Stulte datum
Reor et peccatum largiter.

PERIPHANES.

Imo haec ea est:
Nam servom misi, meum qui sectari solet
Gnatum: ipsod hanc in articulo emit fidicinam.

MILES.

Hem, istic te homo articulatim concidit, senex,
Tuos servos.

PERIPHANES.

Quid? concidit?

MILES.

Sic suspicio est:
Nam pro illa fidicina haecce subposita est tibi.
Senex, tibi os est sublitum plane et probe.
Ego illanc requiram iam, ubiubi est. Bellator, vale.

PERIPHANES.

Euge, euge, Epidice! frugi es! pugnavisti! homo es!
Qui me emunxisti mucidum, minumi preti! —
Mercatus te hodie est de lenone Apoecides?
Ehodum!

FIDICINA.

Istuc nomen nunquam audivi ante hunc diem,
Neque emere quisquam ulla quidem pecunia
Me potuit: plus iam libera sum quinquennium.

PERIPHANES.

Quid tibi negoti est meae domi igitur?

FIDICINA.

Audies:
Conducta veni, ut fidibus cantarem seni,
Dum rem divinam faceret.

PERIPHANES.

Fateor, me omnium

Hominum esse Athenis Atticis minumi preti.
Sed tu novistin' fidicinam Acropolistidem?

FIDICINA.

Tam facile, quam me.

PERIPHANES.

Vbi habitat?

FIDICINA.

Postquam libera est,
Incerto scio.

PERIPHANES.

Eho, ain'? Quis eam liberaverit,
Volo scire, si scis.

FIDICINA.

Id quod audivi, audies:
Stratippoclem clam, Periphanaï filium,
Absentem curavisse ut fieret libera.

PERIPHANES.

Perii hercle, si istaec vera sunt, planissume!
Meum exenteravit Epidicus marsupium!

FIDICINA.

Haec sic audivi. Numquid me vis ceterum?

PERIPHANES.

Malo cruciatu ut pereas atque abeas cito!

FIDICINA.

Fides non reddis?

PERIPHANES.

Neque fides neque tibias.
Propera igitur fugere hinc, si te di amant!

FIDICINA.

Abiero.
Flagitio cum maiore post reddes tamen.

PERI-

PERIPHANES.

Quid nunc? qui in tantis positus sum sententiis,
Eumne ego sinam inpune? Imo, etiamsi alterum
Tantum perdundum est, perdam potius quam sinam,
Hodie inrisu habitum, depeculatu, meis
Me! — Sic data esse verba praesenti palam! —
Ac me minoris facio prae illo, qui omnium
Legum atque iurum fictor, conditor, cluet.
Is etiam sese sapere memorat! Malleum
Sapientiorem scilicet manubrio.

PHILIPPA. PERIPHANES.

PHILIPPA.

Si quid homini est miseriarum, quod miserescat misere ex animo, t. t. IV, 1.
Id ego experior, quoi multa unum in t. d.
Locum confluont, quae meum pectus pulsant simul!
Multiplex aerumna exercitam habet me; b. o.
Paupertas, pavor territat mentem animi; b. d.
Neque, ubi spes conlocem meas, habeo usquam munitum locum: i. t.
Ita gnata mea hostium est potita, neque, nunc, ubi sit, nescio.

PERIPHANES.

Quis illaec est mulier, timido pectore peregre adveniens, quae ipsa se
Miseratur?

PHILIPPA.

In his dictust mihi locis habere Periphanes.

PERIPHANES.

Me nominat haec: credo ego, illi hospitio usus evenit. as. c. ex 3. i. h.

PHILIPPA.

Pervelim mercedem dare, qui monstret eum mi hominem, aut, ubi habitet. t. t.

PERIPHANES.

Noscito ego hanc: nam videor, nescio ubi, vidisse me prius. t. t. c.
Estne ea, annon ea est, quam animus retur meus? c. t.

PHILIPPA.

Di boni, hunc visitavi antidhac! c. tr.

PERIPHANES.

Certo ea est, quam in Epidauro pauperculam memini conprimere .... t.t.

PHILIPPA.

Plane hic ille est, qui in Epidauro primus pudicitiam mihi pepulit!

PERIPHANES.

Quae meo conpressu peperit filiam, quam domi nunc habeo!

PHILIPPA.

Quid, si adeam ....

PERIPHANES.

Haud scio, an congrediar ...

PHILIPPA.

Si hic is est?

PERIPHANES.

Si haec est ea. t. t. c.

PHILIPPA.

Sin est is homo, sicut anni multi me dubiam danunt . . . .

PERIPHANES.

Longa dies meum incertat animum. Sin est, quam incerto autumo:
Astu hanc congrediar.

PHILIPPA.

Muliebris mi adhibenda est nunc malitia.

PERIPHANES.

Conpellabo.

PHILIPPA.

Orationis aciem contra conferam.

PERIPHANES.

Salva sis.

PHILIPPA.

Salutem accipio mi et meis.

PERIPHANES.

Quid ceterum?

PHILIPPA.

Salvos sis: quod credidisti, reddo.

PERIPHANES.

Haud adcuso fidem.
Novin' ego te?

PHILIPPA.

Si ego te novi: animum inducam, vt noveris.

PERIPHANES.

Vbi te visitavi?

PHILIPPA.

Inique iniurius.

PERIPHANES.

Quid iam?

PHILIPPA.

Quia
Memoriae tuae interpretari me aequom censes.

PERIPHANES.

Commode
Fabulata es.

PHILIPPA.

Mira memoras, Periphane.

PERIPHANES.

Hem, istuc rectius!
Meministine . . . .

PHILIPPA.

Meminerim? quid?

PERIPHANES.

In Epidauro . . . .

PHILIPPA.

Ah, guttula
Pectus ardens mi adspersisti!

PERIPHANES.

Virgini pauperculae
Tuaeque matri me levare paupertatem?

PHILIPPA.

Tun' is es,
Qui tuam per voluptatem in me aerumnam obsevisti gravem?

PERIPHANES.

Ego sum. Salve!

PHILIPPA.

Salva sum: quia te esse salvom sentio.

PERIPHANES.

Cedo manum!

PHILIPPA.

Accipe! Aerumnosam et miseriarum conpotem
Mulierem retines.

PERIPHANES.

Quid est, quod voltus conturbat tuos?

PHILIPPA.

Filiam, quam ex te suscepi . . . ,

PERIPHANES.

Quid eam?

PHILIPPA.

Eductam perdidi:
Hostium est potita.

PERIPHANES.

Habe animum lenem et tranquillum face:
Domi meae eccam salvam et sanam. Nam postquam audivi eloco
Ex meo servo, illam esse captam, continuo argentum dedi,
Vt emeretur; eam adeo rem sobrie et frugaliter
Adcuravit ille, ut alias res est inpense inprobus.

PHILIPPA.

Fac videam, sitne illa.

PERIPHANES.

Eho, istinc, Canthara, i! statim iube
Acropolistidem prodire filiam ante aedis meam:
Vt suam videat matrem.

PHILIPPA.

Remigrat animus nunc demum mihi!

FIDICINA. PERIPHANES. PHILIPPA.

FIDICINA.

Quid est, pater, quod me excivisti ante aedis?

PERIPHANES.

Vt matrem tuam t, t. c, IV, a
Videas, adeas, advenienti des salutem atque osculum.

FIDICINA.

Quam? meam matrem?

PERIPHANES.

Quae exanimata exsequitur adspectum tuom.

PHILIPPA.

Quae istaec est, quam tu osculum mihi ferre iubes?

PERIPHANES.

Tua filia.

PHILIPPA.

Haeccine?

PERIPHANES.

Haec.

PHILIPPA.

Egone osculum huic dem?

PERIPHANES.

Cur non, quae ex te nata sit?

PHILIPPA.

Tu homo, insanis.

PERIPHANES.

Egone?

PHILIPPA.

Tute.

PERIPHANES.

Cur?

PHILIPPA.

Quia hanc ego, quae siet,
Neque scio neque novi, neque ego hanc oculis vidi ante hunc diem.

PERIPHANES.

Scio, quid erres: quia vestitum atque ornatum inmutabilem
Habet haec mulier.

PHILIPPA.

Aliter catuli longe olent, aliter sues.
Nego eam me novisse, quae sit.

PERIPHANES.

Proh deum atque hominum fidem,
Quid ego? lenocinium facio, qui habeam alienas domi
Atque argentum egurgitem domo prorsum? Quid tu, quae patrem
Tuom vocas me atque osculare? Quid stas, stupida? quid taces?

FIDICINA.

Quid loquar vis?

PERIPHANES.

Haec negat se tuam esse matrem.

FIDICINA.

Ne fuat,
Si nevolt: equidem hac invita tam ero matris filia.
Non med istanc cogere aequom est meam esse matrem, si nevolt.

PERIPHANES.

Cur me igitur patrem vocabas?

FIDICINA.

Tua istaec culpa est, non mea:
Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me adpelles filiam?
Hanc quoque etiam, si me adpellet filiam, matrem vocem.
Negat haec, filiam me suam esse: non ergo haec mater mea est.
Postremo haec mea culpa non est: quae didici, dixi omnia.
Epidicus mihi fuit magister.

PERIPHANES.

Perii, plaustrum perculi!

FIDICINA.

Numquid ibi ego tibi peccavi?

PERIPHANES.

Si hercle te unquam audivero
Patrem me vocare: vitam tuam ego interimam!

FIDICINA.

Non voco.
Vbi voles pater esse: ibi esto; ubi noles: ne fueris pater.

PHILIPPA.

Quid? ob eamne rem hanc emisti, quia tuam gnatam ratus?
Quibus de signis agnoscebas?

PERIPHANES.

Nullis.

PHILIPPA.

Quare filiam
Credidisti nostram?

PERIPHANES.

Servos Epidicus dixit mihi.

PHILIPPA.

Quid si servod aliter visum est? non poteras nosse, obsecro?

PERIPHANES.

Quid ego, qui illam, ut primum vidi, nunquam vidi postea?

PHILIPPA.

Perii misera!

PERIPHANES.

Ne fle, mulier! intro abi! habeto animum bonum:
Ego illanc reperiam!

PHILIPPA.

Hinc Athenis civis eam emit Atticus.
Adulescentem quidem dicebant emisse.

PERIPHANES.

Inveniam! tace.
Abi modo intro atque hanc adserva Circam, Solis filiam.
Ego relictis rebus Epidicum operam quaerendo dabo,
Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem!

STRATIPPOCLES. EPIDICVS. DANISTA. VIRGO.

STRATIPPOCLES.

Male morigerus mi est danista, qui me argentum non petit

Neque illam adducit, quae emta ex praeda est. Sed eccum incedit Epidicus.
Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine?

EPIDICVS.

Si undecim deos praeter sese secum adducat Iupiter:
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.
Periphanem emere lora vidi; ibi aderat una Apoecides;
Nunc homines me quaeritare credo. Senserunt; sciunt,
Sibi data esse verba.

STRATIPPOCLES.

Quid agis, mea commoditas?

EPIDICVS.

Quod miser.

STRATIPPOCLES.

Quid tibi est?

EPIDICVS.

Quin tu mihi adornas ad fugam viaticum,
Priusquam pereo? nam per urbem duo deflocati senes
Quaeritant me; in manibus gestant copulas secum süavis. t. t.

STRATIPPOCLES.

Habe bonum animum.

EPIDICVS.

Quippe ego, quoi libertas in mundo sita est! t. t. c.

STRATIPPOCLES.

Ego te servabo.

EPIDICVS.

Edepol me illi melius, si nacti fuant.
Sed quis haec muliercula et illic gravastellus, qui venit?

STRATIPPOCLES.

Hic danista, haec illa est autem, quam emi de praeda.

EPIDICVS.

Haeccine est?

STRATIPPOCLES.

Haec est. Estne, ut tibi dixi? Adspecta.

EPIDICVS.

Haec est?

STRATIPPOCLES.

Contempla, Epidice.
Vsque ab unguiculo ad capillum summum est festivissuma!
Estne? Conspicare: signum pictum pulcre videris.

EPIDICVS.

Ex tuis verbis meum futurum corium pulcrum praedicas,
Quem Apelles ac Zeuxis duo pigmentis pingent ulmeis.

STRATIPPOCLES.

Di inmortales, otio isse admiror pedibus! Pulmon' es,
Qui perhibetur? Prius venisset, quam tu advenisti mihi.

DANISTA.

Haec edepol remorata med est.

STRATIPPOCLES.

Siquidem istius gratia

Iam remoratus, quod ista voluit, nimium advenisti cito.

DANISTA.

Age, age, absolve me atque argentum numera: ne comites morer.

STRATIPPOCLES.

Pernumeratum est.

DANISTA.

Tene crumenam: huc inde.

STRATIPPOCLES.

Sapienter venis!
Opperire, dum ecfero ad te argentum.

DANISTA.

Matura!

STRATIPPOCLES.

Domi est.

EPIDICVS.

Satin' ego oculis utilitatem obtineo sincere, an parum?
E Philippa matre natam abs Thebis, Epidauri satam,
Videon' ego Telestidem te, Periphanaï filiam?

VIRGO.

Quis tu homo es, qui meum parentum nomen memoras et meum?

EPIDICVS.

Non me nosti?

VIRGO.

Quod quidem nunc veniat in mentem mihi.

EPIDICVS.

Non meministi, me auream ad te adferre natali die
Lunulam atque anellum aureolum in digitum?

VIRGO.

Memini, mi homo. Tun' is? t. t.

EPIDICVS.

Ego sum et istic frater tuos est alia matre, uno patre.

VIRGO.

Quid pater meus? vivost?

EPIDICVS.

Animo liquido et tranquillo es! tace!

VIRGO.

Di me ex perdita servatam cupiunt, si vera autumas.

EPIDICVS.

Non habeo ullam occasionem, ut apud te falsa fabuler.

STRATIPPOCLES.

Accipe argentum hoc, danista: hic sunt quadraginta minae.
Si quid erit dubium: inmutabo.

DANISTA.

Benefecisti. Bene vale.

STRATIPPOCLES.

Nunc enim tu mea es.

VIRGO.

Soror quidem edepol: ut tu aeque scias,
Salve, frater.

STRATIPPOCLES.

Sanan' haec est?

EPIDICVS.

Sana, si adpellat suom.

STRATIPPOCLES.

Quid? ego modo sum frater factus huic, dum eo intro atque exeo?

EPIDICVS.

Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum et gaudeas.

STRATIPPOCLES.

Perdidisti et reperisti me, soror!

EPIDICVS.

Stultus! tace:
Tibi quidem, quod ames, domi praesto, fidicina, est opera mea;
Et sororem in libertatem idem opera concilio mea.

STRATIPPOCLES.

Epicide, fateor . . . .

EPIDICVS.

Intro abi ac iube huic aquam calefieri.
Cetera haec posterius faxo scibis, ubi erit otium.

STRATIPPOCLES.

Sequere hac me, soror.

EPIDICVS.

Ego ad vos Thesprionem iussero
Huc transire. Sed memento, si quid saevibunt senes,
Suppetias mihi cum sorore ferre.

STRATIPPOCLES.

Facile istuc erit.

EPIDICVS.

Thesprio, exi istac per hortum! adfer domum auxilium mihi!
Magna est res! — Minoris multo facio quam dudum senes.

Remeabo intro: ut adcurentur advenientes hospites.
Eadem haec intus edocebo, quae ego scio, Stratippoclem.
Non fugio: domi adesse certum est; neque ille haud obiiciet mihi,
Pedibus sese provocatum. Abeo intro: nimis longum loquor.

PERIPHANES. APOECIDES. EPIDICVS.

PERIPHANES.
Satin' illic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos t. t. c. V, 2
Habet?

APOECIDES.
Imo edepol tu quidem miserum med habes miseris modis.

PERIPHANES.
Tace, sis, modo. Sine hominem apisci!

APOECIDES.
Dico ego tibi iam, uti scias.
Alium tibi te comitem melius quaerere: ita, dum te sequor,
Lassitudine invaserunt misero in genua flemina.

PERIPHANES.
Quot illic hodie med exemplis ludificatust atque te!
Vt illic autem exenteravit mihi opes argentarias!

APOECIDES.

Apage illum a me: nam ille quidem Volcani irati est filius:
Quaqua tangit, omne amburit; si prope adstes, calefacit.

EPIDICVS.

Duodecim dis plus, quantum in coelo est deorum inmortalium,
Mihi nunc auxilio adiutores sunt et mecum militant!
Quidquid ego malefeci, auxilia mi et suppetiae sunt domi!
Apolactizo inimicos omnis!

PERIPHANES.

Vbi illunc quaeram gentium?

APOECIDES.

Dum sine me quaeras, mea causa quaeras vel medio in mari.

EPIDICVS.

Quid me quaeris? quid laboras? quid hunc sollicitas? Ecce me!
Num te fugi? num ab domo absum? num oculis concessi tuis?
Nec tibi supplico. Vincire vis? En ostendo manus!
Tu habes lora: ego te emere vidi. Quid nunc cessas? Conliga!

PERIPHANES.

Ilicet! Vadimonium ultro mi hic facit.

EPIDICVS.

Quin conligas?

APOE-

APOECIDES.

Edepol mancipium scelestum!

EPIDICVS.

Te profecto, Apoecides,
Nil moror mihi deprecari.

APOECIDES.

Facile exoras, Epidice.

EPIDICVS.

Ecquid agis?

PERIPHANES.

Tuon' arbitratu?

EPIDICVS.

Meo hercle vero, atque haud tuo,
Conligandae haec sunt tibi hodie.

PERIPHANES.

At non lubet: non conligo.

APOECIDES.

Tragulam in te iniicere adornat! nescio quam fabricam facit!

EPIDICVS.

Tibi moram facis, quom ego solutus sto: adliga, inquam! conliga!

PERIPHANES.

At mihi mage lubet, solutum te rogitare.

EPIDICVS.

At nil scies.

PERIPHANES.

Quid ago?

APOECIDES.

Quid agas? Mos geratur.

EPIDICVS.

Frugi es tu homo, Apoecides!

PERIPHANES.

Cedo manus igitur!

EPIDICVS.

Morantur nihil. Atque arte conliga!
Nil verere: obnoxiosus.

PERIPHANES.

Facto opere arbitramino!

EPIDICVS.

Bene hoc habet. Age nunc iam ex me exquaere! rogita, quod lubet!

PERIPHANES.

Qua fiducia ausus primum, quae emta est nudiustertius,
Filiam meam dicere esse?

EPIDICVS.

Lubuit: ea fiducia.

PERIPHANES.

Ain' tu? lubuit?

EPIDICVS.

Aio. Vel da pignus, ni ea sit filia.

PERIPHANES.

Quam negat novisse mater?

EPIDICVS.

Ni ergo matris filia est:
In meum numum, in tuom talentum, pignus da.

PERIPHANES.

Enim istaec captio est.
Sed quis ea est mulier?

EPIDICVS.

Tui gnati amica, ut omnem rem scias.

PERIPHANES.

Tibi dedin' minas triginta ob filiam?

EPIDICVS.

Fateor datas,

Et eo argento illanc me emisse amicam fili fidicinam
Pro tua filia. Istam ob rem te tetigi triginta minis.

PERIPHANES.

Quomodo me ludos fecisti de illa conductitia
Fidicina?

EPIDICVS.

Factum hercle vero, et recte factum iudico.

PERIPHANES.

Quid postremo argento factum est, quod dedi?

EPIDICVS.

Dicam tibi:

Neque malo homini neque benigno, tuo dedi Stratippocli.

PERIPHANES.

Cur dare ausus?

EPIDICVS.

Quia mihi lubitum est.

PERIPHANES.

Quae haec, malum, ferocia est?

EPIDICVS.

Etiam inclamitor quasi servos?

PERIPHANES.

Quom tu es liber, gaudeo.

EPIDICVS.

Merui, ut fierem.

PERIPHANES.

Tun' meruisti?

EPIDICVS.

Vise intro: ego faxo scies,

Hoc ita esse.

PERIPHANES.

Quid est negoti?

EPIDICVS.

Iam ipsa res dicet tibi:
Abi modo intro!

PERIPHANES.

Hei, ne illuc temere est! — Adserva istum, Apoecides!

APOECIDES.

Quemne hodie per urbem uterque sumus defessi quaerere?

EPIDICVS.

Ego sum defessus reperire, vos defessi quaerere.

APOECIDES.

Quid illuc, Epidice, est negoti?

EPIDICVS.

Maxuma hercle iniuria
Vinctus adsto, quoius hinc hodie opera inventa est filia!

APOECIDES.

Ain' tu te illius invenisse filiam?

EPIDICVS.

Inveni, et domi est.
Sed ut acerbum est, pro benefactis quom mali messem metas!

PERIPHANES.

Quid ista oratis opere tanto me? Meruisse intellego, i. t.
Vt lubeat merito huius facere. Cedo tu, ut exsolvam manus! t. t. c.

EPIDICVS.

Ne attigas.

PERIPHANES.

Ostende vero!

EPIDICVS.

Nolo.

PERIPHANES.

Non aequom facis.

EPIDICVS.

Nunquam hercle hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam!

PERIPHANES.

Optumum atque aequissumum oras. Soccos, tunicam, pallium
Tibi dabo.

EPIDICVS.

Quid deinde porro?

PERIPHANES.

Libertatem.

EPIDICVS.

At postea?
Novo liberto opus est, quod pappet.

PERIPHANES.

Dabitur: praebebo cibum. i. t.

EPIDICVS.

Nunquam hercle hodie, nisi me orassis, solves.

PERIPHANES.

Oro te, Epidice, t. t. c.
Mihi ut ignoscas, si quid culpa inprudens peccavi mea.
At ob eam rem liber esto.

EPIDICVS.

Invitus do hanc veniam tibi;
Nisi necessitate cogor. Solve sane, si lubet.

G R E X.

Hic is homo est, qui libertatem malitia invenit sua.
Plaudite et valete! lumbos surgite atque extollite!

MENAECHMI.

ARGVMENTVM.

Mercator Siculus, cui erant gemini filii,
Ei, subrepto clam altero, mors obtigit.
Nomen subreptiti indit illi, qui domi est,
Avus paternus, facit Menaechmum Sosiclem;
Et is germanum, postquam adolevit, quaeritat
Circum omnes oras; post Epidamnum devenit
(Huc fuerat ductus ille subreptitius):
Menaechmum civem credunt omnes advenam,
Eumque adpellant meretrix uxor et socer.
Ibi se cognoscunt fratres postremo invicem.

DRAMATIS PERSONAE.

PENICVLVS.
MENAECHMVS.
MENAECHMVS SOSICLES.
EROTIVM.
CYLINDRVS.
MVLIER.
MESSENIO.
SERVOS ALIVS.
ANCILLA.
SENEX.
MEDICVS.
LORARII.

PROLOGVS.

Salutem primum iam a principio propitiam i. s.
Mihi atque vobis, spectatores, nuntio.
Adporto vobis Plautum lingua, non manu:
Quaeso, ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite atque animum advortite!
Quam potero in verba conferam paucissuma.
Atque hoc poëtae faciunt in comoediis:
Omnis res gestas esse Athenis autumant:
Quo graecum vobis illud videatur magis;
Ego nusquam dicam, nisi, ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum graecissat; tamen
Non Atticissat, verum Sicilicissitat.
Huic argumento antelogium quidem hoc fuit;
Nunc argumentum vobis demensum dabo
Non modio neque trimodio, verum ipso horreo:
Tantum ad narrandum nostra adest benignitas.
Mercator quidam fuit Syracusis senex;
Eii sunt nati filii gemini duo,
Ita forma simili pueri, uti mater sua
Non internosse posset, quae mammam dabat,
Neque adeo mater ipsa, quae illos pepererat;
Vt quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat:

Ego illos non vidi, ne quis vostrum censeat.
Postquam iam pueri septuennes sunt: pater
Oneravit navim magnam multis mercibus,
Inponit in navim alterum geminum pater,
Tarentum avexit secum ad mercatum simul;
Illunc reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti forte ludi erant, quom illuc venit;
Mortales multi, ut ad ludos, convenerant:
Puer aberravit inter homines a patre.
Epidamniensis quidam ibi mercator fuit;
Is puerum tollit avehitque Epidamnium.
Pater eius autem postquam puerum perdidit:
Animum despondit; eaque is aegritudine
Paucis diebus post Tarenti ecmortuost.
Postquam Syracusas de ea re rediit nuntius
Ad avom puerorum, puerum subreptum alterum
[Patremque pueri Tarenti esse emortuom]:
Inmutat nomen huic avos gemino alteri:
Ita illunc dilexit, qui subreptust, alterum:
Illius nomen indit illi, qui domi est,
Menaechmo item, quod alteri nomen fuit,
Et ipsus eodem est avos vocatus nomine.
Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illunc clamore vidi flagitarier.
Ne mox erretis, iam nunc praedico prius:
Idem est ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum est mihi:
Vt hanc rem vobis examussim disputem.
Si quis quid vostrum Epidamnum curari sibi
Velit: is audacter imperato et dicito;
Sed ita, ut det, unde curari id possit sibi:
Nam nisi qui argentum dederit, nugas egerit;

Qui dederit, mage maiores nugas egerit.
Verum illuc redeo, unde abii, atque uno adsto in loco.
Epidamniensis illic, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui subripuit alterum,
Ei liberorum, nisi divitiae, nihil erat:
Adoptat illunc puerum subreptitium
Sibi filium, eique uxorem dotatam dedit,
Eumque heredem fecit, quom ipse obiit diem:
Nam rus ut ibat forte, ut multum pluverat,
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule:
Rapidus raptori pueri subduxit pedes
Abstraxitque hominem in maxumam malam crucem.
Illo illi divitiae evenerunt maxumae.
Is illic habitat geminus subreptitius.
Nunc ille geminus, qui Syracusis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum servo suo
Hunc quaeritatum geminum germanum suom.
Haec urbs Epidamnus est, dum haec agitur fabula;
Quando alia agetur: aliud fiet oppidum;
Sicut familiae quoque solent mutarier:
Modo hic adstat leno, modo adulescens, modo senex,
Pauper, mendicus, rex, parasitus, hariolus. . . . . . .

PENICVLVS.

Iuventus nomen fecit Peniculo mihi i. s. I, 1.
Ideo, quia mensam, quando edo, detergeo.
Homines captivos qui catenis vinciunt

Et qui fugitivis servis indunt conpedes,
Nimis stulte faciunt mea quidem sententia:
Namque homini misero si ad malum accedit malum,
Maior lubido est fugere et facere nequiter:
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo:
Tum conpeditid anum lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clavom. Nugae sunt eae.
Quem tu adservare recte, ne aufugiat, voles,
Esca atque potione vinciri decet.
Apud mensam plenam homini rostrum deliges!
Dum tu illi, quod edit et quod potet, praebeas
Suo arbitratu et adfatim cotidie:
Nunquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit;
Facile adservabis, dum eo vinclo vincies:
Ita istaec nimis lenta vincla sunt escaria:
Quam magis extendas, tanto adstringunt artius.
Nam ego ad Menaechmum nunc eo; quo iam diu
Sum iudicatus, ultro eo, ut me vinciat.
Nam illicce homo homines non alit, verum educat
Recreatque; nullus melius medicinam facit:
Ita est adulescens ipsus escae maxumae:
Cerealis coenas dat: ita mensas exstruit
Et tantas struices concinnat patinarias:
Standum est in lecto, si quid de summo petas.
Sed mi intervallum iam hos dies multos fuit
(Domi domitus fui usque cum caris meis:
Nam neque edo neque emo, nisi, quod est carissumum,
Et quoque iam cari qui instruontur, deserunt);
Nunc ad eum inviso. Sed aperitur ostium.
Menaechmum eccum ipsum video; progreditur foras.

MENAECHMVS. PENICVLVS.

MENAECHMVS.

Ni mala, ni stulta sies, ni indomita inposque animi: ch. t. I, 2.
Quod viro esse odio videas, tute tibi odio habeas! t. tr.
Praeterhac si mihi tale post hunc diem c. t.
Faxis: faxo foris vidua visas patrem!
Nam quotiens foras volo ire: me retines, revocas, rogitas, as. ex t. d. et i. d. c.
Quo ego eam, quam rem agam, quid negoti geram, c. t.
Quid petam, quid feram, quid foris egerim.
Portitorem domum duxi: ita omnem mihi
Rem necesse est loqui, quidquid egi atque ago.
Nimium ego te habui delicatam. Nunc adeo, ut facturus, dicam. t. t.
Quando ego tibi ancillas, penum, lanam, aurum, vestem, purpuram, i. t.
Bene praebeo nec quidquam eges: malo cavebis, si sapis:
Virum observare desines! i. d.
Atque adeo, ne me nequidquam serves: ob eam industriam t. t. c.
Hodie ducam scortum ad coenamque aliquo condicam foras.

PENICVLVS.

Illic homo se uxori simulat male loqui, loquitur mihi:
Nam si foris coenat: profecto me, haud uxorem, ulciscitur.

MENAECHMVS.

Euax, iurgio hercle tandem uxorem abegi ab ianua!
Vbi sunt amatores mariti? dona quid cessant mihi i. t.
Conferre omnes, congratulantes, quia pugnavi fortiter?
Hanc modo uxori intus pallam subripui; ad scortum fero. t. t. c.
Sic hoc decet: dari facete verba custodi catae! i. t.
Hoc facinus pulcrum est, hoc probum est, hoc lepidum est, hoc factum est fabre!
Meo malo a mala abstuli; hoc ad damnum deferetur. i. t. c.
Avorti praėdam ab hostibus, nostrum salute socium!

PENICVLVS.

Heus, adulescens, ecquae in istac pars inest praemi mihi? t. t. c.

MENAECHMVS.

Perii, in insidias deveni!

PENICVLVS.

Imo in praesidium: ne time!

MENAECHMVS.

Quis homo est?

PENICVLVS.

Ego sum.

MENAECHMVS.

O mea commoditas, o mea opportunitas,
Salve!

PENICVLVS.

Salve.

MENAECHMVS.

Quid agis?

PENI-

PENICVLVS.

Teneo dextera genium meum.

MENAECHMVS.

Non potuisti mage per tempus mi advenire, quam advenis.

PENICVLVS.

Ita ego soleo: commoditatis omnis articulos scio.

MENAECHMVS.

Vin' tu facinus luculentum inspicere?

PENICVLVS.

Qui id coxit cocus?
Iam sciam, si quid titubatum est, reliquias ubi videro.

MENAECHMVS.

Dic mihi, num qua tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Vbi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?

PENICVLVS.

Saepe. Sed quid istae picturae ad me attinent?

MENAECHMVS.

Age, me adspice!
Ecquid adsimulo similiter?

PENICVLVS.

Qui istic ornatus tuost?

MENAECHMVS.

Dic hominem lepidissumum esse med!

PENICVLVS.

Vbi esuri sumus?

MENAECHMVS.

Dic modo hoc, quod ego te iubeo!

PENICVLVS.

Dico: „Homo lepidissume.“

MENAECHMVS.

Ecquid audes de tuo istuc addere?

PENICVLVS.

„Atque hilarissume.“

MENAECHMVS.

Perge.

PENICVLVS.

Non pergo hercule ego, nisi scio, qua gratia.
Litigium est tibi cum uxore: hoc mi abs te caveo cautius.

MENAECHMVS.

Te morare, mihi quom obloqueris.

PENICVLVS.

Oculum ecfodito persolum, t. t.
Mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo, nisi, quod iusseris! t. t. c.

MENAECHMVS.

Clam uxorem, ubi sepulcrum habemus, ut hunc conburamus diem.

PENICVLVS.

Age sane igitur, quando aequom oras! Quam mox incendo rogum?
Dies quidem iam ad umbilicum est dimidiatus mortuos.

MENAECHMVS.

Concede huc a foribus.

PENICVLVS.

Fiat.

MENAECHMVS.

Etiam concede huc.

PENICVLVS.

Licet.

MENAECHMVS.

Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.

PENICVLVS.

Heu edepol nae tu, ut ego opinor, esses agitator probus.

MENAECHMVS.

Quidum?

PENICVLVS.

Ne te uxor sequatur, respectas itentidem.

MENAECHMVS.

Sed quid ais?

PENICVLVS.

Egone? id enim, quod tu vis, id aio atque id nego.

MENAECHMVS.

Ecquid tu de odore possis, si quid forte olfeceris,
Facere coniecturam?

PENICVLVS.

Captum si siet conlegium.

MENAECHMVS.

Agedum, odorare hanc, quam ego habeo, pallam. Quid olet? — Abstines?

PENICVLVS.

Summum oportet olfactare vestimentum muliebre:
Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore inlucido.

MENAECHMVS.

Olfacta igitur hinc, Penicule lepide, ut fastidis.

PENICVLVS.

Decet.

MENAECHMVS.

Quid igitur? quid olet? Responde.

PENICVLVS.

Furtum, scortum, prandium.

MENAECHMVS.

Nunc ad amicam deferetur, hanc meretricem Erotium:
Mihi tibi atque illi iubebo iam adparari prandium;
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus.

PENICVLVS.

Expedite fabulatus. Iam foris ferio?

MENAECHMVS.

Feri.

Vel mane etiam.

PENICVLVS.

Mille passum conmoratus cantharum.

MENAECHMVS.

Placide pulta.

PENICVLVS.

Metuis, credo, ne fores Samiae sient.

MENAECHMVS.

Mane, mane, obsecro, hercle: eapse, eccam, exit. Ah! solem vides?
Satin' ut occoecatust prae huius corporis candoribus?

EROTIVM. PENICVLVS. MENAECHMVS.

EROTIVM.

Anime mi, Menaechme, salve!

PENICVLVS.

Quid ego?

EROTIVM.

Extra numerum es mihi. t. t. c. I, 3.

PENICVLVS.

Item istuc aliis ad legionem fieri adscriptivis solet.

MENAECHMVS.

Ego istic mihi hodie adparari iussim apud te — proelium.

EROTIVM.

Hodie id fiet.

MENAECHMVS.

In eo uterque proelio — potabimus.
Vter ibi melior bellator erit inventus — cantharo,
Tua legio est: adiudicato, cum utrod hanc noctem sies.
Vt ego uxorem, mea voluptas, ubi te adspicio, odi male!

EROTIVM.

Interim nequis, quin eius aliquid indutus sies.
Quid hoc est?

MENAECHMVS.

Induviae tuae atque uxoris exuviae, rosa.

EROTIVM.

Superas facile, ut superior sis mihi quam quisquam, qui inpetrant.

PENICVLVS.

Meretrix tantisper blanditur, dum illud, quod rapiat, videt. —
Nam si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus.

MENAECHMVS.

Sustine hoc, Penicule: exuvias facere, quas vovi, volo.

PENICVLVS.

Cedo. Sed, obsecro hercle, salta sic cum palla postea.

MENAECHMVS.

Ego saltabo? Sanus hercle non es.

PENICVLVS.

Egone, an tu magis?
Si non saltas: exue igitur.

MENAECHMVS.

Nimio ego hanc periculo
Subripui hodie. Meo quidem animo ab Hippolyta subcingulum
Hercules haud aeque magno unquam abstulit periculo.
Cape tibi hanc: quando una vivis meis morigera moribus.

EROTIVM.

Hoc animo decet animatos esse amatores probos.

PENICVLVS.

Qui quidem ad mendicitatem properent se detrudere.

MENAECHMVS.

Quatuor minis ego emi istanc anno uxori meae.

PENICVLVS.

Quatuor minae periere plane, ut ratio redditur.

MENAECHMVS.

Scin', quid volo ego te adcurare?

EROTIVM.

Scio. Curabo, quae voles.

MENAECHMVS.

Iube igitur nobis apud te prandium adcurarier,
Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier . . . .

PENICVLVS.

Glandionidam suillam, laridum, pernonidem, aut
Sinciput, aut omenta porcina, aut aliquid ad eum modum,
Madida quae mi adposita in mensam miluinam suggerant.

MENAECHMVS.

Atque actutum.

EROTIVM.

Licet ecastor.

MENAECHMVS.

Nos prodimus ad forum.

PENICVLVS.

Iam hic nos erimus: dum coquetur, interim potabimus.

EROTIVM.

Quando vis, veni: parata res erit.

PENICVLVS.

Propera modo!

MENAECHMVS.

Sequere tute.

PENICVLVS.

Ego hercle vero te et servabo et te sequar,
Neque hodie, ut te perdam, meream deorum divitias mihi.

EROTIVM.

Evocate intus Cylindrum mihi cocum actutum foras!

EROTIVM. CYLINDRVS.

EROTIVM.

Sportulam cape atque argentum. Eccos tris numos habes. t. t. c. I, 4

CYLINDRVS.

Habeo.

EROTIVM.

Abi atque obsonium adfer. Tribus vide quod sit satis.
Neque defiat, neque supersit.

CYLINDRVS.

Quoiusmodi hi homines erunt?

EROTIVM.

Ego et Menaechmus et parasitus eius.

CYLINDRVS.

Iam isti sunt decem: i. t.
Nam parasitus octo munus hominum facile fungitur. t. t. c.

EROTIVM.

Elocuta sum convivas; caeterum cura.

CYLINDRVS.

Licet.
Cocta sunt. Iube ire adcubitum.

EROTIVM.

Redi cito.

CYLINDRVS.

Iam ego hic ero.

MENAECHMVS SOSICLES. MESSENIO.

MENAECHMVS.

Nulla est voluptas navitis, Messenio, i. s. II, 1.
Maior mĕo animo, quamde, quom ex alto procul
Terram conspiciunt.

MESSENIO.

Maior, non dicam dolo,
Quom adveniens terram videas, quae fuerit tua.
Sed, quaeso, quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An, quasi mare, omnis circumimus insulas?

MENAECHMVS.

Fratrem quaesitum geminum germanum meum.

MESSENIO.

Nam quid modi futurum est illum quaerere?
Hic annus sextus, postquam re huic operam damus.
Istros, Hispanos, Massiliensis, Illurios,
Mare superum omne Graeciamque exoticam
Orasque Italicas omnis, qua adgreditur mare,
Sumus circumvecti. Si acum, credo, quaereres:
Acum invenisses, si adpareret, iam diu.

Hominem inter vivos quaeritamus mortuom:
Nam invenissemus iam diu, si viveret.

MENAECHMVS.

Ergo istuc quaero certum qui faciat mihi,
Qui sese dicat scire, eum esse mortuom.
Operam praeterea nunquam sumam quaerere;
Verum aliter vivos nunquam desistam exsequi.
Ego illunc scio, quam cordi sit carus meo!

MESSENIO.

In scirpo nodum quaeris. Quin nos hinc domum
Redimus, nisi si historiam scripturi sumus?

MENAECHMVS.

Dictum facessas doctum et discaveas malo!
Molestus ne sis! non tuo hoc fiet modo!

MESSENIO.

Hem,
Illoc enim verbo esse me servom scio!
Non potuit paucis plura plane proloqui.
Verum tam nequeo continere, quin loquar.
Audi, Menaechme. Quom inspicio marsupium:
Viaticati hercle admodum aestive sumus.
Nae tu hercle, opinor, nisi domum revorteris,
Vbi nil habebis, geminum dum quaeris, gemes.
Nam ita istaec hominum natio est Epidamnia:
Voluptarii atque potatores maxumi,
Tum sycophantae et palpatores plurimi
In urbe hac habitant; tum meretrices mulieres
Nusquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est:
Quia nemo ferme sine damno huc devortitur.

MENAECHMVS.

Ego istuc cavebo. Cedo dum mi huc marsupium!

MESSENIO.

Quid eo vis?

MENAECHMVS.

Iam abs te metuo de verbis tuis.

MESSENIO.

Quid metuis?

MENAECHMVS.

Ne mihi damnum in Epidamno duis.
Magnus tu amator mulierum es, Messenio;
Ego autem homo iracundus, animi perditi:
Id utrumque, argentum quando habebo, cavero:
Ne tu delinquas, neve ego irascar tibi.

MESSENIO.

Cape atque serva: me lubente feceris.

CYLINDRVS. MENAECHMVS SOSICLES. MESSENIO.

CYLINDRVS.

Bene obsonavi atque ex mea sententia; i. s. II, 2.
Bonum anteponam prandium pransoribus.
Sed eccum Menaechmum video. Vae tergo meo!
Prius iam convivae ambulant ante ostium,
Quam ego obsonatu redeo! Adibo atque adloquar. —
Menaechme, salve.

MENAECHMVS.

Di te amabunt. Scin', quis sum?

CYLINDRVS.

Non hercle vero! Vbi convivae ceteri?

MENAECHMVS.

Quos tu convivas quaeris?

CYLINDRVS.

Parasitum tuom.

MENAECHMVS.

Meum parasitum? Certe hic insanust homo.

MESSENIO.

Dixin' tibi, esse hic sycophantas plurimos?

MENAECHMVS.

Quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum?

CYLINDRVS.

Peniculum.

MESSENIO.

Eccum, in vidulo salvom fero!

CYLINDRVS.

Menaechme, numero huc advenis ad prandium:
Nunc obsonatu redeo.

MENAECHMVS.

Responde mihi,
Adulescens: quibus hic pretiis porci veneunt
Sacres sinceri?

CYLINDRVS.

Numo.

MENAECHMVS.

Numum a me accipe:
Iube te piari de mea pecunia:
Nam ego quidem insanum esse te certo scio,
Qui mihi molestus homini ignoto, quisquis es.

CYLINDRVS.

Cylindrus ego sum. Nomen non nosti meum?

MENAECHMVS.

Seu tu Culindrus, seu Coriandrus: perieris:
Ego te non novi neque novisse adeo volo.

CYLINDRVS.

Est tibi Menaechmo nomen tandem, quod sciam!

MENAECHMVS.

Pro sano loqueris, quom me adpellas nomine.
Sed ubi novisti me?

CYLINDRVS.

Vbi ego te noverim,
Qui amicam habeas heram meam, hanc Erotium?

MENAECHMVS.

Neque hercule habeo neque te, quis homo sis, scio.

CYLINDRVS.

Non scis, quis ego sim, qui tibi saepissume
Cyathisso apud nos, quando potas?

MESSENIO.

Hei mihi,
Quom nihil est, qui homini illi diminuam caput!

MENAECHMVS.

Tun' cyathissare mihi soles, qui ante hunc diem
Epidamnum nunquam vidi neque veni?

CYLINDRVS.

Negas?

MENAECHMVS.

Nego hercle vero.

CYLINDRVS.

Non tu in illisce aedibus
Habitas?

MENAECHMVS.

Di illos, qui illi habitant, homines perduint!

CYLINDRVS.

Insanit hic quidem, qui ipse maledicit sibi. —
Audin', Menaechme?

MENAECHMVS.

Quid vis?

CYLINDRVS.

Si me consulas:
Numum illum, quem mihi dudum pollicitus dare,
Iubeas, si sapias, porculum adferri tibi:
Nam tu quidem hercle certo non sanus satis,
Menaechme, qui nunc ipsus maledicas tibi.

MESSENIO.

Heu hercule hominem multum et odiosum mihi!

CYLINDRVS.

Solet iocari saepe mecum illoc modo.
Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.

MENAECHMVS.

Quid ais tu? Quid vis, inquam?

CYLINDRVS.

Satin' hoc, quod vides,
Tribus vobis obsonatum, an obsono amplius,
Tibi et parasito et mulieri?

MENAECHMVS.

Quas mulieres,
Quos tu parasitos loquere?

MESSENIO.

Quod te urget scelus,
Qui huic sis molestus?

CYLINDRVS.

Quid tibi mecum est rei?
Ego te non novi; cum hoc, quem novi, fabulor.

MENAECHMVS.

Non edepol tu, homo, sanus es, certo scio.

CYLINDRVS.

Iam ergo haec madebunt faxo; nil morabitur:
Proin tu ne longius quo abeas ab aedibus.
Numquid vis?

MENAECHMVS.

Vt eas maxumam in malam crucem!

CYLINDRVS.

Ire hercle meliust te interim atque adcumbere,
Dum ego haec adpono Volcani ad violentiam.
Ibo intro et dicam, te hic adstare, Erotio:
Vt te hinc abducat potius, quam hic adstes foris.

MENAECHMVS.

Iamne abiit? Abiit. Edepol haud mendacia
Tua verba experior esse.

MESSENIO.

Observato modo:
Nam istic meretricem credo habitare mulierem,
Vt quidem ille insanus dixit, qui hinc abiit modo.

MENAECHMVS.

Sed miror, qui ille noverit nomen meum.

MESSENIO.

Minume hercle mirum: morem hunc meretrices habent:
Ad portum mittunt servolos, ancillulas;
Si qua peregrina navis in portum advenit:
Rogant, quoiatis sit, quid ei nomen siet;
Postilla extemplo se adplicant, adglutinant;
Si pellexerunt: perditum amittunt domum.

Nunc in istoc portu stat navis praedatoria,
Abs qua cavendum nobis sane censeo.

MENAECHMVS.

Mones quidem hercle recte.

MESSENIO.

Tum demum sciam
Recte monuisse, si tu recte caveris.

MENAECHMVS.

Tacedum parumper: nam concrepuit ostium.
Videamus, qui hinc egreditur.

MESSENIO.

Hoc ponam interim.
Adservatote haec, sultis, navales pedes.

EROTIVM. CYLINDRVS. MENAECHMVS SOSICLES. MESSENIO.

EROTIVM.

Sine sic fores! Abi! nolo operiri. as. ex 2 i. h. II, 3.
Intus para, cura, i. h.
Vide, quod opust, ut fiat! Sternite lectos! incendite odores! as. ex t. d. et i. d. c.
Munditia inlecebra animo amantum est. t. d.
Amanti amoenitas malo est, nobis lucro est. i. s.
Sed ubi illic est, quem cocus ante aedis esse ait?
Atque eccum video, qui mi est usu et plurimum prodest; item huic i. t.

Vltro

Vltro fit, ut meret, potissumus nostrae uti domi sit. i. t. c.
Nunc eum adibo atque adloquar ultro. Animule mi, mihi mira videntur, t. t.
Hic te stare foris, fores quoi pateant mage, quam domus tua: t. t. c.
Domus quom haec tua sit. Omne paratum est, ut iussisti atque ut voluisti, t. t.
Neque tibi mora ulla est intus. — t. d.
Prandium, ut iusti, hic curatum est: ubi lubet, ire licet adcubitum. t. t.

MENAECHMVS.

Quicum haec mulier loquitur?

EROTIVM.

Equidem tecum.

MENAECHMVS.

Quid mecum tibi t. t. c.
Fuit unquam aut nunc est negoti?

EROTIVM.

Quia pol te unum ex omnibus
Venus me voluit magnificare; neque id haud inmerito tuo:
Nam ecastor solus benefactis tuis me florentem facis.

MENAECHMVS.

Certo haec mulier aut insana aut ebria est, Messenio,
Quae hominem ignotum conpellet me tam familiariter.

MESSENIO.

Dixin' ego, solere hic istaec fieri? Folia nunc cadunt
Praeut si triduom hoc hic erimus: tum arbores in te cadent:

Nam ita sunt hic meretrices omnes elecebrae argentariae.
Sed sine me dum hanc conpellare. Heus, mulier! tibi dico.

EROTIVM.

Quid est?

MESSENIO.

Vbi tute hunc hominem novisti?

EROTIVM.

Ibidem, ubi hic me iam diu,
In Epidamnod.

MESSENIO.

In Epidamno, qui huc in hanc urbem pedem,
Nisi hodie, nunquam intro tetulit?

EROTIVM.

Heia, delicias facis,
Mi Menaechme. Quin, amabo, is intro? hic tibi erit rectius.

MENAECHMVS.

Haec quidem edepol recte adpellat meo me mulier nomine.
Nimis miror, quid hoc negoti est.

MESSENIO.

Oboluit marsupium
Huic istuc, quod habes.

MESSENIO.

Atque edepol tu me monuisti probe.
Accipe dum hoc: iam scibo, utrum haec me mage amet, an marsupium.

EROTIVM.

Eamus intro: ut prandeamus.

MENAECHMVS.

Bene vocas; tam gratia est.

EROTIVM.

Cur igitur tibi me iussisti coquere dudum prandium?

MENAECHMVS.

Egon' te iussi coquere?

EROTIVM.

Certo tibid et parasito tuo.

MENAECHMVS.

Quoi, malum, parasito? Certo haec mulier non sana est satis.

EROTIVM.

Peniculo.

MENAECHMVS.

Qui iste est Peniculus? qui extergentur baxeae?

EROTIVM.

Scilicet, qui dudum tecum venit, quom pallam mihi
Detulisti, quam ab uxore tua subripuisti.

MENAECHMVS.

Quid est?
Tibi pallam dedi, quam uxori meae subripui? sanan' es?
Certe haec mulier cantherino ritud adstans somniat.

EROTIVM.

Qui lubet ludibrio habere me atque ire inficias mihi,
Facta quae sunt?

MENAECHMVS.

Dic, quid est id, quod negem quod fecerim?

EROTIVM.

Pallam te hodie mihi dedisse uxoris.

MENAECHMVS.

Etiam nunc nego:
Ego quidem neque unquam uxorem habui neque habeo neque huc
Vnquam, postquam natus sum, intra portam penetravi pedem.
Prandi in navi; inde huc egressus sum; te conveni.

EROTIVM.

Eccere,
Perii misera! quam tu nunc mihi navem narras?

MENAECHMVS.

Ligneam,
Saepe tritam, saepe fixam, saepe excussam malleo;
Quasi supellex pellionis, palus palo proxumust.

EROTIVM.

Iam me, amabo, desine ludos facere atque i hac mecum simul.

MENAECHMVS.

Nescio quem, mulier, alium hominem, non me, quaeritas.

EROTIVM.

Non ego te novi Menaechmum, Moscho prognatum patre,
Qui Syracusis perhibere natus esse in Sicilia,
Vbi Rex Agathocles regnator fuit et iterum Phintia,
Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit,
Nunc Hiero est?

MENAECHMVS.

Haud falsa, mulier, praedicas.

MESSENIO.

Proh Iupiter,
Num istaec mulier illinc venit, quae te novit tam cate?

MENAECHMVS.

Hercle, opinor, pernegari non potest.

MESSENIO.

Ne feceris.
Periisti, si intrassis intra limen.

MENAECHMVS.

Quin tace modo:
Bene res geritur. Adsentabor, quidquid dicet, mulieri,
Si possum hospitium nancisci. Mulier, iamdudum tibi
Non inprudens advorsabar: hunc metuebam, ne meae
Vxori haec renuntiaret de palla et de prandio.
Nunc, quando vis, intro eamus.

EROTIVM.

Etiam parasitum manes?

MENAECHMVS.

Neque ego illum maneo neque floccifacio neque, si venerit,
Eum volo intromitti.

EROTIVM.

Ecastor haud invita fecero.
Sed scin', quid te amabo ut facias?

MENAECHMVS.

Impera, quid vis, modo.

EROTIVM.

Pallam illanc, quam dudum dederas, ad phrygionem ut deferas:

Vt reconcinnetur atque ut opera addantur, quae volo.

MENAECHMVS.

Hercle quin tu recte dicis: eadem ignorabitur,
Ne uxor cognoscat te habere, si in via conspexerit.

EROTIVM.

Ergo mox auferto tecum, quando abibis.

MENAECHMVS.

Maxume.

EROTIVM.

Eamus intro.

MENAECHMVS.

Iam sequar ted: hunc volo etiam conloqui.
Eho, Messenio, accede huc!

MESSENIO.

Quid est negoti?

MENAECHMVS.

Subsili!

MESSENIO.

Quid eo opus quidem?

MENAECHMVS.

Opust.

MESSENIO.

Scio: ut mendices.

MENAECHMVS.

Tanto nequior.
Habeo praedam: tantum incepi operis! I, quantum potest;
Abduc istos in tabernam actutum deversoriam;
Tum facito ante solem occasum ut venias advorsum mihi.

MESSENIO.

Non tu istas meretrices novisti, here?

MENAECHMVS.

Tace, tace, tace, inquam. t. t.
Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stulte fecero. t. t. c.
Mulier haec stulta atque inscita est, quantum perspexi modo.
Est hic praeda nobis.

MESSENIO.

Perii, iamne abis? — Periit probe!
Ducit lembulum dierectum navis praedatoria!
Sed ego inscitus, qui domino me postulem moderarier:
Dicto me emit audientem, haud imperatorem, sibi.
Sequimini: ut, quod imperatum est, veniam advorsum temperi.

PENICVLVS.

Plus triginta natus annis sum, quom ego interea loci t. t. c. III, 1
Nunquam quidquam facinus feci peius neque scelestius,
Quam hodie, quom in concionem mediam me inmersi miser,
Vbi ego dum hieto, Menaechmus se subterduxit mihi
Atque abiit ad amicam, credo, neque me voluit ducere.

Qui illum di deaeque omnes perdant, qui conmentus primus est
Concionem habere, qui homines occupatos occupat!
Non ad eam rem otiosos homines decuit delegi,
Qui nisi adsint, quom citentur, census capiant eloco?
Adfatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt,
Quibus negoti nihil est, qui esum neque vocantur neque vocant;
Eos oportet concioni dare operam atque comitiis.
Si id ita esset, non ego hodie perdidissem prandium,
Quoi tam credo deum voluisse, quam me video vivere.
Ibo: etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum.
Sed quid ego? video Menaechmum? Cum corona exit foras!
Sublatum est convivium! Edepol venio advorsum temperi!

MENAECHMVS SOSICLES. PENICVLVS.

Menaechmvs.

Potin', ut quiescas, si ego tibi hanc hodie probe i, s. III, 2
Lepideque concinnatam referam temperi?
Non esse eam dices faxo: ita ignorabitur.

PENICVLVS.

Pallam ad phrygionem fert confecto prandio
Vinoque expoto, parasito excluso foras.
Non hercle is sum, qui sum, nisi hanc iniuriam
Meque ultus pulcre fuero! Observabo, quae agat,
Hinc primum hominem; post adibo atque adloquar.

MENAECHMVS.

Proh di inmortales, quoi homini unquam uno die
Boni dedistis plus, qui minus speraverit?
Prandi, potávi, scortum adcubui, abstuli
Hanc, quoius heres nunquam erit post hunc diem!

PENICVLVS.

Nequeo, quae loquitur, exaudire, clanculum.
Satin' nunc loquitur de me et de parti mea?

MENAECHMVS.

Ait hanc dedisse me sibi atque eam meae
Vxori subripuisse. Quoniam sentio
Errare: extemplo, quasi res cum ea esset mihi,
Coepi adsentari: mulier quidquid dixerat,
Idem ego dicebam. Multis quid verbis opust?
Minore nusquam bene fui dispendio.

PENICVLVS.

Adibo ad hominem: nam turbare gestio.

MENAECHMVS.

Quis hic est, qui advorsus it mihi?

PENICVLVS.

Quid ais, homo
Levior quam pluma, pessume et nequissume,
Flagitium hominis, subdole ac minumi preti?
Quid de te merui, qua me causa perderes?
Vt subripuisti te mihi dudum de foro!

Fecisti funus med absente prandio.
Cur ausus facere, quoi ego aeque ac tu heres eram?

MENAECHMVS.

Adulescens, quaeso, quid tibi mecum est rei,
Qui mihi maledicas homini ignotod insciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari?
Posce!

PENICVLVS.

Eam quidem edepol te dedisse intellego.

MENAECHMVS.

Responde, adulescens, quaeso, quod tibi nomen est.

PENICVLVS.

Etiam derides, quasi non nomen noveris?

MENAECHMVS.

Non edepol ego te, quod sciam, unquam ante hunc diem
Vidi neque novi; verum certo, quisquis es,
Aequom si facias, mihi odiosus ne sies.

PENICVLVS.

Non me novisti?

MENAECHMVS.

Non negem, si noverim.

PENICVLVS.

Menaechme, vigila!

MENAECHMVS.

Vigilo hercle equidem, quod sciam.

PENICVLVS.

Tuom parasitum non novisti?

MENAECHMVS.

Non tibi
Sanum est, adulescens, sinciput, ut intellego.

PENICVLVS.

Responde: subripuistin' uxori tuae
Pallam istanc hoc die atque dedisti Erotio?

MENAECHMVS.

Neque hercle ego uxorem habeo, neque ego Erotio
Dedi, nec pallam surpui.

PENICVLVS.

Satin' sanus es?
Occisa est haec res! Non ego te indutum foras
Exire vidi pallam?

MENAECHMVS.

Vae capiti tuo!
Omnis cinaedos esse censes, tu quia es?
Tun' med indutum fuisse pallam praedicas?

PENICVLVS.

Ego hercle vero.

MENAECHMVS.

Non tu abis, quo dignus es,
Aut te iubes piari, homo insanissume?

PENICVLVS.

Nunquam edepol me quisquam exorabit, quin tuae
Vxori rem omnem iam, uti sit gesta, eloquar!
Omnes in te istaec recident contumeliae!
Faxo haud inultum prandium comederis!

MENAECHMVS.

Quid hoc negoti est? satin', ut quemque conspicor,
Ita me ludificant? Sed concrepuit ostium.

ANCILLA. MENAECHMVS SOSICLES.

ANCILLA.

Menaechme, amare ait te multum Erotium, i. s. III, 3.
Vt hoc nunc una opera ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondod unciam
Iubeasque spinther novom reconcinnarier.

MENAECHMVS.

Et istuc et aliud, si quid curari volet,
Me curaturum dicito, quidquid volet.

ANCILLA.

Scin', quod hoc sit spinther?

MENAECHMVS.

Nescio, nisi aureum.

ANCILLA.

Hoc est, quod olim clanculum ex armario
Te subripuisse aiebas uxori tuae.

MENAECHMVS.

Nunquam hercle factum est.

ANCILLA.

Annon meministi, obsecro?
Redde igitur spinther, si non meministi.

MENAECHMVS.

Mane:
Imo equidem memini: nempe hoc est, quod ei dedi.

ANCILLA.

Istuc.

MENAECHMVS.

Vbi armillae sunt, quas una dedi?

ANCILLA.

Nunquam dedisti.

MENAECHMVS.

Nam pol hoc una dedi.

ANCILLA.

Dicam curare?

MENAECHMVS.

Dicito: curabitur.
Et palla et spinther faxo referantur simul.

ANCILLA.

Amabo, mi Menaechme, inauris da mihi
Faciundas pondo duom numum, stalagmia:
Vt te lubenter videam, quom ad nos veneris.

MENAECHMVS.

Fiat. Cedo aurum: ego manupretium dabo.

ANCILLA.

Da sodes abs te: post ego reddidero tibi.

MENAECHMVS.

Imo cedo abs te.

ANCILLA.

Ego post tibi reddam duplex.

MENAECHMVS.

Non habeo.

ANCILLA.

At tute, quando habebis, tum dato.
Numquid vis?

MENAECHMVS.

Haec me curaturum dicito, —
Vt, quantum possit quique liceant, veneant.
Iamne abiit intro? Abivit, operuit foris.
Di me quidem omnes adiuvant, augent, amant.
Sed quid ego cesso, dum datur mi occasio

Tempusque, abire ab his locis lenoniis?
Propera, Menaechme! fer pedem! confer gradum!
Demam coronam atque abiciam ad laevam manum: ut,
Si qui sequantur, hac me abiisse censeant.
Ibo et conveniam servom, si potero, meum:
Vt haec, quae bona di mihi danunt, ex me sciat.

MVLIER. PENICVLVS.

MVLIER.

Egone ecmendicarim matrimonium, i. s. IV, 1.
Vbi vir conpilet clanculum, quidquid domi
Est atque ad amicam deferat?

PENICVLVS.

Quin tu taces?
Manufesto faxo iam opprimes: sequere hac modo.
Pallam ad phrygionem cum corona ebrius
Ferebat, hodie tibi quam subripuit domo.
Sed eccam, coronam, quam habuit! Num mentior?
Hem, hac abiit, si vis persequi vestigiis.
Atque edepol, eccum, optume revortitur;
Sed pallam non fert.

MVLIER.

Quid ego nunc cum illoc agam?

PENICVLVS.

Idem, quod semper: male habeas.

MVLIER.

Sic censeo.

PENICVLVS.

Huc concedamus: ex insidiis aucupa.

MENAECHMVS. MVLIER. PENICVLVS.

Menaechmvs.

Vt hoc utimur maxume more moro molestoque multum! b. s. IV, 2.
Atque uti quique sunt optumi, maxumi: c. t.
Morem habent hunc: clientis sibi omnes volunt
Esse multos; bonine an mali sint, id haud
Quaeritant: res magis quaeritur, quam, fides
Quoiusmodi clueat. c. d. c.
Si pauper est atque haud malus: nequam habetur; b. t.
Si dives malust: is cliens frugi habetur,
Qui nec leges neque aequom bonum usquam colunt, c. t.
Sollicitos patronos habent. b. tr. c.
Datum denegant, quod datum est, litum pleni, b. t.
Rapaces, viri fraudulenti, b. tr.
Qui aut foenore aut periuriis habent rem partam; i. tr. h.
Mens est in querelis. b. d.
Iuris ubi dicitur dies: simul patronis dicitur: i. t.
Quippe qui pro illis loquantur, quae male fecerint. i. s.
Aut ad populum aut in iure aut ad iudicem res est. b. t.
Sicut med hodie nimis sollicitum cliens quidam habuit, nec, quod t. t.
Agere volui, quidquam licitum est: ita me adtinuit, ita detinuit.

Apud Aedilis, proeliis factis plurimisque pessumisque,
Dixi causam; conditiones tetuli tortas, confragosas;
Aut plus aut minus, quam opus erat, multo controversiam t. t. c.
Duxeram: ut ne sponsio fieret. Quid illic? — Quid? Praedem dedit;
Nec magis manufesto ego hominem unquam ullum teneri vidi: t. t.
Omnibus malefactis testes tres aderant acerrumi. t. t. c.
Di illunc omnes perdant (ita mi hunc hodie conrupit diem)
Meque adeo, qui hodie forum unquam oculis inspexi meis!
Diem conrupit! Optumum iussi adparari prandium;
Amica expectat me scio. i. d.
Vbi primum licitum est: eloco properavi abire de foro. i. t.
Irata est, credo, nunc mihi. Placabit palla, quam dedi,
Quam hodie uxori abstuli atque huic detuli Erotio. i. s.

PENICVLVS.

Quid ais?

MVLIER.

Viro me malo male nuptam. as. ex 2 i. h.

PENICVLVS.

Satin' audis, quae illic loquitur?

MVLIER.

Satis. as. c. ex 2 i. h.

MENAECHMVS.

Si sapiam: huc intro abeam, ubi mihi bene siet.

MVLIER.

MVLIER.

Mane: male erit potius! t. t.
Nae illanc mecastor foeneratod abstulisti! Sic datur! i. t.
Clanculum te istaec flagitia facere censebas potesse? t. t.

MENAECHMVS.

Quid illuc est, uxor negoti?

MVLIER.

Men' rogas?

MENAECHMVS.

Vin' hunc rogem? t. t. c.

PENICVLVS.

Aufer hinc palpationes! — Perge tu.

MENAECHMVS.

Quid tu mihi
Tristis es?

MVLIER.

Te scire oportet.

PENICVLVS.

Scit; sed dissimulat malus.

MENAECHMVS.

Quid negoti est?

MVLIER.

Pallam . . . .

MENAECHMVS.

Pallam?

MVLIER.

Quidam pallam . . . .

PENICVLVS.

Quid paves?

MENAECHMVS.

Nil equidem paveo, nisi unum palla pallorem incutit.

PENICVLVS.

At tu ne clam me comessis prandium! — Perge in virum!

MENAECHMVS.

Non taces?

PENICVLVS.

Non hercle vero taceo. — Nutat, ne loquar.

MENAECHMVS.

Non hercle ego quidem usquam quidquam nuto neque nicto tibi.

MVLIER.

Nae ego mecastor mulier misera!

MENAECHMVS.

Qui tu misera es, mi expedi!

PENICVLVS.

Nihil hoc confidentius, qui, quae vides, ea pernegat!

MENAECHMVS.

Per Iovem deosque omnis adiuro, uxor (satin' hoc est tibi?),
Me isti non nutasse.

PENICVLVS.

Credit iam tibi de isto; illuc redi!

MENAECHMVS.

Quo redeam ego?

PENICVLVS.

Equidem ad phrygionem censeo et pallam refer!

MENAECHMVS.

Quae istaec palla est?

MVLIER.

Taceo iam: quando hic rem non meminit suam.

MENAECHMVS.

Num quis servorum deliquit, num ancillae aut servi, tibi?
Responsa.

PENICVLVS.

Haud eloquere!

MENAECHMVS.

Inpune non erit.

PENICVLVS.

Nugas agis.

MENAECHMVS.

Tristis admodum es. Non mi istuc satis placet.

PENICVLVS.

Nugas agis.

MENAECHMVS.

Certe familiarium aliquoi irata es.

PENICVLVS.

Nugas agis.

MENAECHMVS.

Num mihi es irata saltem?

PENICVLVS.

Nunc tu non nugas agis.

MENAECHMVS.

Non edepol deliqui quidquam.

PENICVLVS.

Hem, rursum nunc nugas agis.

MENAECHMVS.

Dic, mea uxor, quid tibi aegre est.

PENICVLVS.

Bellus blanditur tibi!

MENAECHMVS.

Potin', ut mihi molestus ne sis? num te adpello?

MVLIER.

Aufer manum!

PENICVLVS.

Sic datur! Properato absente me comesse prandium,
Post ante aedis cum corona me derideto ebrius!

MENAECHMVS.

Neque edepol ego prandi neque hodie huc intro tetuli pedem.

PENICVLVS.

Tun' negas?

MENAECHMVS.

Nego hercle vero.

PENICVLVS.

Nihil hoc homine audacius.
Non ego te modo hic ante aedis cum corona florea
Vidi adstare, quom negabas, mi esse sanum sinciput?
Et negabas, me novisse: peregrinum aibas esse te.

MENAECHMVS.

Quin, ut dudum devorti abs te, redeo nunc demum domum.

PENICVLVS.

Novi ego te. Non mihi censebas esse, qui te ulciscerer:
Omnia hercle uxori dixi.

MENAECHMVS.

Quid dixisti?

PENICVLVS.

Nescio.

Ipsus eam roga.

MENAECHMVS.

Quid hoc est, uxor? quidnam hic narravit tibi?
Quid id est? — Quid taces? quin dicis, quid sit?

MVLIER.

Quasi tu nescias,
Me rogas!

MENAECHMVS.

Pol haud rogem te, si sciam.

PENICVLVS.

O, hominem malum!
Vt dissimulat! Non potes celare: rem novit probe:
Omnia hercle ego edictavi.

MENAECHMVS.

Quid id est?

MVLIER.

Quando nil pudet
Neque vis tua voluntate ipse profiteri: audi atque ades!
Et quid tristis et quid hic mihi dixerit, faxo scias.
Palla mihi est domo subrepta.

MENAECHMVS.

Palla subrepta est mihi?

PENICVLVS.

Viden', uti scelestus captat? Huic subrepta est, non tibi:
Nam profecto, tibi subrepta si esset, salva nunc foret.

MENAECHMVS.

Nil mihi tecum est. Sed tu quid ais?

MVLIER.

Palla, inquam, periit domo.

MENAECHMVS.

Quis eam subripuit?

MVLIER.

Pol istuc ille scit, qui illam abstulit.

MENAECHMVS.

Quis hic homo est?

MVLIER.

Menaechmus quidam.

MENAECHMVS.

Edepol factum nequiter!

Qui is Menaechmust?

MVLIER.

Tu istic, inquam.

MENAECHMVS.

Egone?

MVLIER.

Tu!

MENAECHMVS.

Quis arguit?

MVLIER.

Egomet.

PENICVLVS.

Et ego. Atque huic amicae detulisti Erotio.

MENAECHMVS.

Egon' dedi?

PENICVLVS.

Tu, tu istic, inquam! Vin' adferri noctuam, i. t.
Quae Tu Tu usque dicat tibi? nam nos iam defessi sumus. t. t. c.

MENAECHMVS.

Per Iovem deosque omnis adiuro, uxor (satin' hoc est tibi?),
Non dedisse.

PENICVLVS.

Imo hercle vero, nos non falsum dicere.

MENAECHMVS.

Sed ego illanc non condonavi; sed sic utendam dedi.

MVLIER.

Equidem ecastor tuam nec chlamydem do foras nec pallium
Quoiquam utendum. Mulierem aequom est vestimentum muliebre
Dare foras, virum virile. Quin refers pallam domum?

MENAECHMVS.

Ego faxo referetur.

MVLIER.

Ex re tua, ut opinor, feceris:
Nam domum nunquam introdibis, nisi feres pallam simul.
Eo domum.

PENICVLVS.

Quid mihi futurum est, qui tibi hanc operam dedi?

MVLIER.

Opera reddetur, tibi quando quid erit subreptum domo.

PENICVLVS.

Id quidem edepol nunquam erit: nam nihil est, quod perdam, domi.
Cum virum, cum uxorem, di vos perdant! Properabo ad forum:
Nam ex hac familia me planed excidisse intellego.

MENAECHMVS.

Male mihi uxor se fecisse censet, quom excludit foras,
Quasi non habeam, quo intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi displiceo: patiundum; at placuero huic Erotio,
Quae me non excludet ab se, sed apud se occludet domi.
Nunc ibo: orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi.
Aliam illi redimam meliorem. Heus, ecquis hic est ianitor?
Aperite atque Erotium aliquis evocate ante ostium.

EROTIVM, MENAECHMVS.

EROTIVM.

Quis hic me quaerit?

MENAECHMVS.

Sibi inimicus mage quamde aetati tuae.
i. t. IV, 3.

EROTIVM.

Mi Menaechme, cur ante aedis adstas? Sequere intro. t. t. c.

MENAECHMVS.

Mane.
Scin', quid est, quod ego ad te venio?

EROTIVM.

Scio: ut tibi ex me sit volup.

MENAECHMVS.

Imo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde: uxor rescivit rem omnem, ut factum est, ordine.
Ego tibi redimam bis tanto pluris pallam, quam voles.

EROTIVM.

Dedi equidem illanc, ad phrygionem ut ferres, tibi paulo prius,
Et illud spinther, ut ad aurificem ferres, ut fieret novom.

MENAECHMVS.

Mihi tu ut dederis pallam et spinther? Nunquam factum. Relege rem:
Nam ego quidem postquam illam dudum tibi dedi atque abii ad forum:
Nunc redeo, nunc te postilla video.

EROTIVM.

Video, quam rem agis:
Quae conmisi, ut me defrudes, ad eam rem adfectas viam.

MENAECHMVS.

Neque edepol te defrudandi causa posco. Quin tibi
Dico, uxorem rescivisse.

EROTIVM.

Nec te ultro oravi, ut dares:

Tute ultro ad me detulisti. Dono eam mihi dedisti; t. t.
Eandem nunc reposcis. Patiar! habe tibi! aufer! utere t. t. c.
Vel tu, vel tua uxor! vel etiam in oculos conpingite!
Tu huc post hunc diem non feres pedem intro, ne frustra sies:
Quando tu me bene merentem tibi habes despicatui.
Nisi feres argentum: frustra me ductare non potes!
Aliam posthac invenito, quam habeas frustratui!

MENAECHMVS.

Nimis iracunde hercle tandem! — Heus tu, tibi dico, mane!
Redi!

EROTIVM.

Etiam adstas? Etiamne audes mea revorti gratia?

MENAECHMVS.

Abiit intro, occlusit aedis. Nunc ego sum exclusissumus:
Neque domi neque apud amicam mihi iam quidquam creditur.
Ibo et consulam hanc rem amicos, quid faciundum censeant.

MENAECHMVS SOSICLES. MVLIER.

MENAECHMVS.

Nimis stulte dudum feci, quom marsupium i. s. IV, 4.
Messenioni cum argento concredidi!
Inmersit aliquo sese, credo, in ganeum.

MVLIER.

Provisam, quam mox vir meus redeat domum.
Sed eccum video! Salva sum: pallam refert.

MENAECHMVS.

Demiror, ubi nunc ambulet Messenio.

MVLIER.

Adibo atque hominem accipiam, quibus dictis meret.
Non te pudet prodire in conspectum meum,
Flagitium hominis, cum istoc ornatu?

MENAECHMVS.

Quid est?
Quae res agitat te, mulier?

MVLIER.

Etiamne, inpudens,
Muttire verbum unum audes aut mecum loqui?

MENAECHMVS.

Quid tandem admisi in me, ut loqui non audeam?

MVLIER.

Rogas med? Hominis inpudentem audaciam!

MENAECHMVS.

Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem
Graii esse praedicabant?

MVLIER.

Non equidem scio.

MENAECHMVS.

Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omni mala ingerebat, quemquem adspexerat:
Itaque adeo iure coepta appellari est Canes.

MVLIER.

Non ergo istaec flagitia possum perpeti:
Nam med aetatem viduam esse mavelim,
Quam istaec flagitia tua pati, quae tu facis.

MENAECHMVS.

Quid id ad me, tun' te nuptam possis perpeti,
An sis abitura a tuo viro? An mos hic ita est,
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?

MVLIER.

Quas fabulas? Non, inquam, patiar praeterhac,
Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam!

MENAECHMVS.

Mea quidem hercle causa vidua vivito
Vel usque dum regnum obtinebit Iupiter.

MVLIER.

Hanc mihi negabas dudum subripuisse te;
Nunc eandem ante oculos attines! Non te pudet?

MENAECHMVS.

Heu hercle, mulier, multum et audax et mala es.
Tun' tibi subreptam hanc dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem?

MVLIER.

Nae istuc mecastor iam patrem arcessam meum
Atque enarrabo tua flagitia, quae facis!
I, Decio, quaere meum patrem, tecum simul
Vt veniat ad me: ita rem esse dicito.
Iam ego aperiam istaec tua flagitia!

MENAECHMVS.

Sanan' es?
Quae mea flagitia?

MVLIER.

Quom pallam atque aurum meum
Domo tuae suppilas uxori et tuae
Degeris amicae! Satin' haec recte fabulor?

MENAECHMVS.

Quaeso hercle, mulier, si scis, monstra, quod bibam,
Tuam qui possim perpeti petulantiam!
Quem tu hominem med arbitrare, nescio;
Ego te simitu novi cum Parthaone.

MVLIER.

Si me derides, at pol illum non potes,
Patrem meum, qui huc advenit! Quin respicis?
Novistin' tu illum?

MENAECHMVS.

Novi cum Calcha simul:
Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.

MVLIER.

Negas novisse me? negas patrem meum?

MENAECHMVS.

Idem hercle dicam, si avom vis adducere.

MVLIER.

Ecastor pariter hoc atque alias res soles.

SENEX. MVLIER. MENAECHMVS SOSICLES.

Senex.

Vt aetas mea est atque ut hoc usus facto est, b. t. IV, 5.
Gradum proferam, progrediri properabo;
Sed id quam mihi facile siet, haud sum falsus:
Nam pernicitas deserit, consitus sum
Senectute, onustum gero corpus, vires
Reliquere. Vt aetas mala est merx mala ergo!
Nam res plurimas pessumas, quom advenit, fert,
Quas si iam autumem omnis, nimis longus sermo est.
Sed haec res mihi in pectore et corde curae est,
Quidnam hoc sit negoti, b. d.
Quod filia sic repente expetiit me, ut ad sese irem, gall.
Nec, quid sit, certius mihi facit, quid velit, quidve arcessat.
Verum propemodum iam scio, quid siet re: b. t.
Credo, cum viro litigium natum esse aliquod.
Ita istaec solent, quae viros subservire
Sibi postulant, dote fretae, feroces.
Et illi quoque haud abstinent saepe culpa;
Verum est modus tamen, quoad pati uxorem oportet;
Nec pol filia unquam patrem arcessit ad se,
Nisi aut aliquid conmisit aut iurgi causa est.
Sed id, quidquid est, iam sciam. Atque eccam eampse
Ante aedis et eius virum tristem video. Id

Est, quod suspicabar. b. d.
Adpellabo hanc.

Mvlier.

Ibo advorsum. Salve multum, mi pater. t. t. c.

Senex.

Salva sis. Salven' advenio? salven' arcessi iubes?
Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit?
Nescio quid vos velitatid estis inter vos duo.
Loquere, uter meruistis culpam, paucis; non longos logos.

Mvlier.

Nusquam equidem quidquam deliqui (hoc primum te absolvo, pater);
Verum vivere hic non possum neque durare ullo modo:
Proin' tu me hinc abducas.

Senex.

Quid istuc autem est?

Mvlier.

Ludibrio, pater,
Habeor.

Senex.

Vnde?

Mvlier.

Ab illo, quoi me mandavisti, meo viro.

Senex.

Ecce autem litigium! Quotiens tandem edixi tibi,
Vt caveres, neuter ad me iretis cum querimonia?

Mvlier.

Qui istuc, mi pater, cavere possum?

SENEX.

Men' interrogas?

MVLIER.

Nisi nevis.

SENEX.

Quotiens monstravi tibi, viro ut morem geras:
Quid illic faciat, ne id observes, quo eat, quid rerum gerat?

MVLIER.

At enim ille hinc amat meretricem ex proxumo ....

SENEX.

Sane sapit,
Atque ob istanc industriam etiam faxo amabit amplius.

MVLIER.

Atque ibi potat.

SENEX.

Tuan' quidem ille causa potabit minus,
Si illic, sive alibi lubebit? Quae haec, malum, inpudentia est?
Vna opera prohibere, ad coenam ne promittat, postules,
Neve quemquam accipiat alienum apud te. Serviren' tibi
Postulas viros? Dare unad opera pensum postules,
Inter ancillas sedere iubeas, lanam carere.

MVLIER.

Non equidem mihi te advocatum, pater, adduxi, sed viro.
Hinc stas; illinc causam dicis.

SENEX.

Si ille quid deliquerit:

Multo tanto illum adcusabo, quam te adcusavi, amplius.
Quando te auratam et vestitam bene habet, ancillas, penum,
Recte praehibet: melius sanam est, mulier, mentem sumere.

MVLIER.

At illic suppilat mihi aurum et pallas ex arcis domo;
Me despoliat; mea ornamenta clam ad meretrices degerit.

SENEX.

Male facit, si istuc facit; si nòn facit, tu male facis,
Quae insontem insimules.

MVLIER.

Quin etiam nunc habet pallam, pater,
Et, quod ad hanc detulerat, spinther: nunc, quia rescivi, refert.

SENEX.

Iam ego ex hoc, uti factum est, scibo: ibo ad hominem atque adloquar.
Dic mi istuc, Menaechme, quod vos dissertatis: ut sciam.
Quid tu trux es? quid illanc autem abs ted iratam destituis? t. t.

MENAECHMVS.

Quisquis es, quidquid tibi nomen est, senex: summum Iovem t. t. c.
Deosque do testis . . . .

SENEX.

Qua de re aut quoius re rerum omnium?

MENAECHMVS.

Me neque isti male fecisse mulieri, quae me arguit
Hanc domo ab se subripuisse atque abstulisse deierat.
Si ego intra aedis huius unquam, ubi habitat, penetravi pedem:
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrumus!

SENEX.

Sanun' es, qui istuc exoptes aut neges, te unquam pedem
In eas aedis intulisse, ubi habitas, insanissume?

MENAECHMVS.

Tun', senex, ais habitare med in illisce aedibus?

SENEX.

Tun' negas?

MENAECHMVS.

Nego hercle vero.

MVLIER.

Nimium hoc ludicre negas,
Nisi quo nocte hac emigrasti.

SENEX.

Concede hac, sis, filia. —
Quid tu ais? num hinc emigrasti?

MENAECHMVS.

Quem in locum aut quam ob rem, obsecro?

SENEX.

Non edepol scio.

MVLIER.

Ludit te hic profecto.

SENEX.

Non tu te tenes? —
Iam vero, o Menaechme, satis iocatus es: nunc hanc rem age.

MENAECHMVS.

Quaeso, quid mihi tecum est? unde aut quis tu homo es? Tibi aut adeo isti, t. t.
Quae molesta est . . . . !

SENEX.

Quomodo? t. d. c.

MVLIER.

Viden' tute illi oculos virere? et viridis exoritur oolos
Ex temporibus atque fronte! ut oculi scintillant, vide!

MENAECHMVS.

Hei mihi, insanire me aiunt, ultro quom ipsi insaniunt!

MVLIER.

Vt pandiculans oscitatur! Quid nunc faciam, mi pater?

SENEX.

Concede huc, mea nata, ab istoc quam potest longissume!

MENAECHMVS.

Quid mihi melius, quam, quando illi me insanire praedicant,
Ego med adsimulem insanire: ut illos a me absterream?
Evie atque, heu! Bromie, quo me in silvam venatum vocas?
Audio; sed non abire possum ab his regionibus:

Ita illaec me ab laeva rabiosa femina adservat canis;
Post autem illic hircus, alias qui saepe aetate in sua
Perdidit civem innocentem falso testimonio.

SENEX.

Vae capiti tuo!

MENAECHMVS.

Ecce, Apollo mi ex oraculo imperat,
Vt ego illic e oculos exuram lampadibus ardentibus!

MVLIER.

Perii, mi pater, minatur mihi oculos exurere!

SENEX.

Filia, heus!

MVLIER.

Quid est? quid agimus?

SENEX.

Quid, si ego huc servos cito?
Ibo: adducam, qui hunc hinc tollant et domi devinciant,
Priusquam turbarum quid faciat amplius.

MENAECHMVS.

Enimvero, nisi
Occupo aliquod mihi consilium: hi me domum ad sese auferent. —
Pugnis me vetastin' huius ori quidquam parcere?
Ni iam ex meis oculis abscedat in malam magnam crucem:
Faciam, quod iubes, Apollo!

SENEX.

Fuge domum quantum potest:
Ne hic te obtundat!

MVLIER.

Fugio. Amabo te, adserva istunc, mi pater:
Ne quo hinc abeat! Sumne ego mulier misera, quae illaec audio?

MENAECHMVS.

Haud male illanc a me amovi; nunc hunc inpurissumum,
Tremulum, barbatum Tithonum, Cygno qui cluet patre,
Ita mihi imperas, ut ego huius membra atque ossa atque artua
Comminuam illo scipione, quem ipse habet?

SENEX.

Dabitur malum,
Me quidem si attigeris, aut si propius ad me accesseris!

MENAECHMVS.

Faciam, quod iubes: securim capiam ancipitem atque hunc senem
Ossum fini dedolabod assulatim viscera!

SENEX.

Enimvero illud praecavendum est atque adcurandum mihi:
Sane ego illunc metuo, ut minatur, ne quid malefaxit mihi.

MENAECHMVS.

Multa mihi imperas, Apollo! Nunc equos iunctos iubes
Capere me indomitos, ferocis, atque in currum inscendere:
Vt ego hunc proteram leonem vetulum, olentem, edentulum?

Iam adstiti in currum; iam lora teneo; iam stimulum in manu est!
Agite, equi! facitote sonitus ungularum adpareant
Cursu celeri! facite inflexa sit pedum pernicitas!

SENEX.

Mihin' equis iunctis minaris?

MENAECHMVS.

Ecce Apollo denuo!
Me iubes facere inpetum in eum, qui hic stat, atque occidere? —
Sed quis hic est, qui capillo me hinc de curru deripit?
Inperium tuom demutat atque dictum Apollinis!

SENEX.

Heu morbum hercle acrem ac durum! Di, vostram fidem, i. s.
Vel hic, qui insanit, quam valuit paulo prius!
Ei derepente tantus morbus incidit!
Ibo atque arcessam medicum iam quantum potest.

MENAECHMVS.

Iamne isti abierunt, quaeso, ex conspectu meo,
Qui me vi cogunt, validus ut vesaniam?
Quid cesso abire ad navem, dum salvo licet?
Vosque omnis quaeso, si senex revenerit,
Ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim.

SENEX.

Lumbi sedendod, oculi exspectando dolent, i. s. V, 1.
Manendo medicum, dum se ex opere recipiat.
Odiosus tandem vix ab aegrotis venit;
Ait se obligasse crus fractum Aesculapio,
Apollini autem brachium. Nunc cogito,
Vtrum me dicam medicum ducere, an fabrum.
Atque eccum incedit. Move formicinum gradum!

MEDICVS. SENEX.

MEDICVS.

Quid illi esset morbi, dixeras? Narra, senex. i. s. V, 2.
Num larüatus aut cerritus? Fac sciam.
Num eum veternus aut aqua intercus tenet?

SENEX.

Quin ea te causa duco, ut id dicas mihi
Atque illum ut sanum facias.

MEDICVS.

Perfacile id quidem est.
Sanum futurum, mea ego id promitto fide.

SENEX.

Magna cum cura ego illum curari volo.

MEDICVS.

Quin suspirabit plus sexcentos in dies:
Ita illunc cum cura ego magna curabo tibi.
Atque eccum ipsum hominem! Observemus, quam
rem agat.

MENAECHMVS. SENEX. MEDICVS.

MENAECHMVS.

Edepol nae hic dies pervorsus atque advorsus mi obtigit: t. t. c. V, 3.
Quae me clam ratus sum facere, ea palam fecit omnia
Parasitus, qui me conplevit flagiti et formidinis,
Meus Vlysses, suo qui regi tantum concivit mali.
Quem ego hemonem, si quidem vivo, vitad evolvam sua!
Sed ego stultus sum, qui illius esse dico, quae mea est:
Meo cibo et sumtu educatust. Anima privabo virum!
Condigne autem haec meretrix fecit, ut mos est meretricius:
Quia rogo pallam, ut referatur rursum ad uxorem meam,
Mihi se ait dedisse. Heu, edepol nae ego homo vivo miser!

SENEX.

Audin', quae loquitur?

MEDICVS.

Se miserum praedicat.

SENEX.

Adeas velim.

MEDICVS.

Salvos sis, Menaechme. Quaeso, cur apertas brachium?
Non tu scis, quantum isti morbo nunc tuo facias mali.

MENAECHMVS.

Quin tu te suspendis?

SENEX.

Ecquid sentis?

MEDICVS.

Quidni sentiam?
Non potest haec res ellebori iugere obtinerier.
Sed quid ais, Menaechme?

MENAECHMVS.

Quid vis?

MEDICVS.

Dic mihi hoc, quod te rogo:
Album an atrum vinum potas?

MENAECHMVS.

Quin tu is in malam crucem?

SENEX.

Iam hercle occeptat insanire primulum.

MENAECHMVS.

Quin tu rogas,
Purpureum panem an puniceum soleam ego esse, an luteum?
Soleamne esse avis squamosas, piscis pennatos?

SENEX.

Papae,
Audin' tu, ut deliramenta loquitur? Quid cessas dare
Potionis aliquid, priusquam percipit vesania?

MEDICVS.

Mane modo: etiam percontabor alia.

SENEX.

Occidis fabula.

MEDICVS.

Dic mihi hoc: solent tibi unquam oculi duri fieri?

MENAECHMVS.

Quid? tun' me locustam censes esse, homo ignavissume?

MEDICVS.

Dic mihi, en nunquam tibi intestina crepant, quod sentias.

MENAECHMVS.

Vbi satur sum: nulla crepitant; quando esurio: tum crepant.

MEDICVS.

Hoc quidem edepol haud pro insano verbum respondit mihi.
Perdormiscin' usque ad lucem? facilen' tu dormis cubans?

MENAECHMVS.

Perdormisco, si resolvi quoi argentum debeo.
Qui te Iupiter dique omnes, percontator, perduint!

MEDICVS.

Nunc homo insanire occeptat. De illis verbis cave tibi!

SENEX.

I! modestior quidem nunc de verbist, praeut dudum fuit:
Nam dudum uxorem suam esse aiebat rabiosam canem.

MENAECHMVS.

Quid ego dixi?

SENEX.

Insanis, inquam.

MENAECHMVS.

Egone?

SENEX.

Tu istic, qui mihi

Etiam me iunctis quadrigis minitatus prosternere.
Egomet haec te vidi facered: egomet haec ted arguo.

MENAECHMVS.

At ego te sacram coronam subripuisse scio Iovis;
Et ob eam rem in carcerem ted esse conpactum scio;
Et postquam es emissus, caesum virgis sub furca scio;
Tum patrem occidisse et matrem vendidisse etiam scio.
Satin' haec pro sano maledicta maledictis respondeo?

SENEX.

Obsecro hercle, medice, propere, quidquid facturus, face!
Non vides hominem insanire?

MEDICVS.

Scin', quid facias optumum?
Ad me face uti deferatur.

SENEX.

Itane censes?

MEDICVS.

Quippini?
Ibi meo arbitratu potero curare hominem.

SENEX.

Age, ut lubet.

MEDICVS.

Elleborum potabis faxod aliquos viginti dies.

MENAECHMVS.

At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.

MEDICVS.

I, arcesse homines, qui illunc ad me deferant!

SENEX.

Quot sunt satis?

MEDICVS.

Proinde ut insanire video, quatuor; nihilo minus.

SENEX.

Iam hic erunt. Adserva tu istunc, medice.

MEDICVS.

Imo ibo ego domum:
Vt parentur, quibus paratis opus est. Tu servos iube
Hunc ad me ferant.

SENEX.

Iam ego illic faxo erit.

MEDICVS.

Abeo.

SENEX.

Vale.

MENAECHMVS.

Abiit socerus, abiit medicus: solus nunc. Proh Iupiter,
Quid illuc est, quod med hice homines insanire praedicant?
Nam equidem, postquam gnatus sum, nunquam aegrotavi unum diem;
Neque ego insanio neque pugnas neque ego litis coepio:
Salvos salvos alios video; novid homines, adloquor.
An illi perperam insanire me aiunt, ipsi insaniunt?
Quid ego nunc faciam? Domum ire cupio: at uxor non sinit;
Huc autem nemo intromittit. Nimis proventum est nequiter!
Hic ero usque. Ad noctem saltem, credo, intromittar domum.

MESSENIO.

Spectamen bono servod est, qui rem herilem b. t. V, 4.
Procurat, videt, conlocat cogitatque:
Vt absente hero res heri diligenter
Tutetur, quam si ipse adsit, aut rectius. b. t. c.
Tergum quam gulam, crura quam ventrem, oportet
Potiora esse, quoi cor modestum est. b. tr.
Recordetur: qui sunt nihili, quid iis preti c. t.
Detur ab suis heris, ignavis, inprobis
Viris: verbera, conpes, molae, lassitudo, b. t.
Fames, frigus durum. Haec pretia ignaviae sunt.
Id ego male malum metuo: propterea bonum esse certum est: as. ex t. d. et i. d. c.
Nam mage multo patior facilius verba; verbera ego odi,
Nimioque edo lubentius molitum, quam molitum praehibeo. i. t.
Propterea heri imperium exsequor bene et sedate servio.
Atque id mihi prodest. Alii ita sint, in rem ut esse ducunt; i. t. c.
Ego ita, ut me oportet, ero: metum mi adhibeam, culpam abstineam;
Hero ut omnibus in locis siem praesto. Qui culpa servi
Carent et metuont, ii solent heris utibiles esse.
Nam illi, qui nil metuont, malum postquam est promeritum, metuont.
Metuam haud malum; prope est, quom herus ob facta pretium exsolvet.

Eo exemplo servio, tergi ut in rem esse arbitror. i. s.
Postquam in tabernam vasa et servos conlocavi, ut iusserat: i. t.
Ita venio advorsum. Nunc foris pultabo: adesse ut me sciat,
Atque virum ex hoc saltu damni salvom ut educam foras. t. t. c.
Sed metuo, ne sero veniam depugnato proelio.

SENEX. MENAECHMVS. LORARII. MESSENIO.

SENEX.

Per ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum t. t. t. V, 5.
Sapienter habeatis curae, quae imperavi atque impero:
Facite illic homo iam in medicinam ablatus sublimis siet,
Nisi quidem vos vostra crura aut latera nihili penditis!
Cave quisquam, quod illic minitetur, vostrum floccifecerit!
Quid statis? quid dubitatis?. Iam sublimem raptum oportuit! i. t.
Ego ibo ad medicum: praesto ero illi, quom venietis.

MENAECHMVS.

Occidi!

Quid hoc est negoti, quod illice homines ad me currunt, obsecro?
Quid voltis vos? quid quaeritatis? quid me circumsistitis?
Quo rapitis me? quo fertis me? Perii! Obsecro vostram fidem,
Epidamnienses, subvenite, cives! Quin me mittitis?

MESSENIO.

Proh di inmortales, obsecro, quid ego oculis adspicio meis?
Herum meum indignissume nescio qui sublimem ferunt!

MENAECHMVS.

Ecquis suppetias mihi audet ferre?

MESSENIO.

Ego, here, audacissume. t. t. c.
O facinus indignum et malum, Epidamnii cives, herum i. t.
Meum hic in pacato oppido luci deripier in via,
Qui liber ad vos venerit! i. d.
Mittite istunc!

MENAECHMVS.

Obsecro te, quisquis, operam ut des mihi, t. t. c.
Neu sinas in me insignite fieri tantam iniuriam!

MESSENIO.

Imo operam dabo et defendam et subvenibo sedulo!
Nunquam te patiar perire! me perire est aequius.
Eripe oculum isti, te ab humero qui tenet, here, te obsecro!

Hisce ego iam sementem in ore faciam pugnosque obseram.
Maxumo hercle hodie malo vostro istunc fertis! Mittite!

MENAECHMVS.

Teneo ego huic oculum.

MESSENIO.

Face ut oculi locus in capite adpareat!
Vos scelesti, vos rapaces, vos praedones!

LORARII.

Periimus,
Obsecro, hercle!

MESSENIO.

Mittite ergo!

MENAECHMVS.

Quid me vobis tactio est?
Pecte pugnis!

MESSENIO.

Agite, abite, fugite hinc in malam crucem!
Hem tibi etiam, quia postremus cedis, hoc praemi feres!
Nimis bene ora conmentavi atque ex mea sententia.
Edepol, here, nae tibi suppetias tempore adveni modo.

MENAECHMVS.

At tibi di semper, adulescens, quisquis es, faciant bene:
Nam absque te esset, hodie nunquam ad solem occasum viverem.

MESSENIO.

Ergo edepol, si recte facias, here, med emittas manu.

MENAE-

MENAECHMVS.

Liberem ego te?

MESSENIO.

Verum: quandoquidem, here, te servavi.

MENAECHMVS.

Quid est,
Adulescens? Erras.

MESSENIO.

Quid? erro?

MENAECHMVS.

Per Iovem adiuro patrem,
Med herum tuom non esse.

MESSENIO.

Non taces?

MENAECHMVS.

Non mentior;
Nec meus servos unquam tale fecit, quale tu mihi.

MESSENIO.

Sic sine igitur, si tuom esse negas me, abire liberum.

MENAECHMVS.

Mea quidem hercle causa liber esto atque ito, quo voles.

MESSENIO.

Nempe iubes?

MENAECHMVS.

Iubeo hercle, si quid imperi est in te mihi.

MESSENIO.

Salve, mi patrone.

SERVOS ALIVS.

Quom tu liber es, Messenio,
Gaudeo.

MESSENIO.

Credo hercle vobis. Sed, patrone, te obsecro,
Ne minus imperes mihi, quam, quom tuos servos fui.
Apud ted habitabo et, quando ibis, una tecum ibo domum.
Mane me: nunc ibo in tabernam: vasa et argentum tibi
Referam. Recte est obsignatum in vidulo marsupium
Cum viatico: id tibi iam huc adferam.

MENAECHMVS.

Adfer strenue.

MESSENIO.

Salvom tibi item, ut mihi dedisti, redhibebo. Hic me mane.

MENAECHMVS.

Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt miris modis:
Alii me negant eum esse, qui sum, atque excludunt foras;
Socer et medicus me insanire dicunt. Quid sit, mira sunt.
Et iam hic servom sese esse aibat meum, quem ego emisi manu;
Is mi adlaturum cum argento sese ait marsupium.
Id si attulerit: dicam ut a med abeat liber, quo volet:
Ne tum, quando suos sit factus, a med argentum petat.
Haec nihilo mihi esse videntur secius, quam somnia.

Nunc ibo intro ad hanc meretricem, quamquam suscenset mihi:
Si possum exorare, ut pallam reddat, quam referam domum.

MENAECHMVS SOSICLES. MESSENIO.

MENAECHMVS.

Men' hodie usquam convenisse te, audax, audes dicere, t. t. c. V, 6.
Postquam advorsum mi imperavi ut huc venires?

MESSENIO.

Quin modo
Eripui, homines qui ferebant te sublimem quatuor,
Apud hasce aedis; tu clamabas deum fidem atque hominum omnium,
Quom ego adcurro teque eripio vi pugnando ingratiis.
Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum.
Quom me argentum dixi petere et vasa: tu quantum potest
Praecucurristi obviam: ut, quae fecisti, inficias eas.

MENAECHMVS.

Liberum ego te iussi abire . . . . . .

MESSENIO.

Certo.

MENAECHMVS.

Quoi certissumum est,
Mepte potius fieri servom, quam te unquam emittam manu?

MENAECHMVS. MESSENIO. MENAECHMVS SOSICLES.

MENAECHMVS.

Si voltis per oculos iurare: nihilo hercle ea causa magis i. t. V, 7.
Facietis, ut hodie abstulerim ego pallam et spinther, pessumae.

MESSENIO.

Proh di inmortales, quid ego video?

MENAECHMVS SOSICLES.

Quid vides?

MESSENIO.

Speculum tuom.

MENAECHMVS SOSICLES.

Quid negoti est?

MESSENIO.

Tua est imago! tam consimilist, quam potest! t. t. c.

MENAECHMVS SOSICLES.

Pol profecto haud est dissimilis, meam quom formam noscito.

MENAECHMVS.

O adulescens, salve, qui me servavisti, quisquis es!

MESSENIO.

Adulescens, quaeso hercle, loquere tuom mihi nomen, nisi piget.

MENAECHMVS.

Non edepol ita promeruisti de me, ut pigeat, quae velis.
Mihi est Menaechmus nomen.

MENAECHMVS SOSICLES.

Imo edepol mihi. i. s.

MENAECHMVS.

Siculus sum Syracusanus.

MENAECHMVS SOSICLES.

Ea domus et patria est mihi. t. t. c.

MENAECHMVS.

Quid ego ex te audio?

MENAECHMVS SOSICLES.

Hoc, quod res est.

MESSENIO.

Novi equidem hunc: herus est meus.
Ego quidem huius servos sum; sed med esse huius credidi.
Hunc ego censebam te esse; huic etiam exhibui negotium.
Quaeso, ignoscas, si quid stulte dixi atque inprudens tibi.

MENAECHMVS SOSICLES.

Delirare mihi videre. Non conmeministi, simul
Te hodie mecum exire e navi?

MESSENIO.

Enimvero aequom postulas:
Tu herus es; tu servom quaere. Tu salveto! tu vale!
Hunc ego esse aio Menaechmum.

MEAECHMVS.

At ego me.

MENAECHMVS SOSICLES.

Quae haec est fabula?
Tu es Menaechmus?

MENAECHMVS.

Me esse dico, Moscho prognatum patre.

MENAECHMVS SOSICLES.

Tun' meo patre es prognatus?

MENAECHMVS.

Imo equidem, adulescens, meo;
Tuom tibi neque occupare neque praeripere postulo.

MESSENIO.

Di inmortales, spem insperatam date mihi, quam suspicor!
Nam nisi me animus fallit, hi sunt gemini germani duo:
Nam et patriam et patrem conmemorant pariter, qui fuerint sibi.
Sevocabo herum. Menaechme!

MENAECHMI AMBO.

Quid vis?

MESSENIO.

Non ambos volo;
Sed uter est advectus mecum navi vostrum?

MENAECHMVS.

Non ego.

MENAECHMVS SOSICLES.

At ego.

MESSENIO.

Te volo igitur. Huc concede.

MENAECHMVS SOSICLES.

Concessi. Quid est?

MESSENIO.

Illic aut homo sycophanta aut geminus est frater tuos:

Nam hominem homini similiorem nunquam vidi ego alterum,
Neque aqua aquae neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius,
Quam hic tui est tuque huius autem; post eandem patriam ac patrem
Memorat. Melius nos adire est atque hunc percontarier.

MENAECHMVS SOSICLES.

Hercle quin tu me admonuisti recte et habeo gratiam.
Perge operam dare, obsecro hercle! Liber esto, si invenis
Hunc meum fratrem esse!

MESSENIO.

Spero.

MENAECHMVS SOSICLES.

Et ego itidem spero fore.

MESSENIO.

Quid ais tu? Menaechmum, opinor, te vocari dixeras.

MENAECHMVS.

Ita vero.

MESSENIO.

Huic item Menaechmo nomen est. In Sicilia
Te Syracusis natum esse dixisti; hic natust ibi.
Moschum tibi patrem fuisse dixisti; huic itidem fuit.
Nunc operam potestis ambo mihi dare et vobis simul.

MENAECHMVS.

Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis, quin inpetres.

Tamquam si emeris me argento, liber servibo tibi.

MESSENIO.

Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duos
Geminos, una matre natos et patre uno uno die.

MENAECHMVS.

Mira memoras. Vtinam efficere, quod pollicitus, possies!

MESSENIO.

Possum. Sed nunc, agite, uterque id, quod rogabo, dicite.

MENAECHMVS.

Vbi lubet, roga: respondebo; nil reticebo, quod sciam.

MESSENIO.

Est tibi nomen Menaechmo?

MENAECHMVS.

Fateor.

MESSENIO.

Est itidem tibi?

MENAECHMVS SOSICLES.

Est.

MESSENIO.

Patrem fuisse Moschum tibi ais?

MENAECHMVS.

Ita vero.

MENAECHMVS SOSICLES.

Et mihi.

MESSENIO.

Esne tu Syracusanus?

MENAECHMVS.

Certo.

MESSENIO.

Quid tu?

MENAECHMVS SOSICLES.

Quippini?

MESSENIO.

Optume usque adhuc conveniunt signa. Porro operam date.
Quid longissume meministi, dic mihi, in patria tua?

MENAECHMVS.

Cum patre ut abii Tarentum ad mercatum; postea
Inter homines med a patre deerrare atque inde avehi.

MENAECHMVS SOSICLES.

Iupiter supreme, serva me!

MESSENIO.

Quid clamas? quin taces?
Quot eras annos gnatus, quom te pater a patria avehit?

MENAECHMVS.

Septuennis: nam tum dentes mihi cadebant primulum;
Neque patrem postillad unquam vidi.

MESSENIO.

Quid? vostrum patri
Filii quot eratis?

MENAECHMVS.

Vt nunc maxume memini, duo.

MESSENIO.

Vter eratis, tun' an ille, maior?

MENAECHMVS.

Aeque ambo pares.

MESSENIO.

Qui id potest?

MENAECHMVS.

Gemini ambo eramus.

MENAECHMVS SOSICLES.

Di me servatum volunt.

MESSENIO.

Si interpellas, ego tacebo.

MENAECHMVS SOSICLES.

Potius taceo.

MESSENIO.

Dic mihi:
Vno nomine ambo eratis?

MENAECHMVS.

Minume: nam mihi hoc erat,
Quod nunc est, Menaechmus; illunc tum vocabant Sosiclem.

MENAECHMVS SOSICLES.

Signa agnovi: contineri, quin conplectar, non queo!
Mi germane, gemine frater, salve! Ego sum Sosicles.

MENAECHMVS.

Quomodo igitur post Menaechmo nomen est factum tibi?

MENAECHMVS SOSICLES.

Postquam ad nos renuntiatum est de te, et patrem mortuom,
Avos mutavit noster; tibi quod nomen est, fecit mihi.

MENAECHMVS.

Credo, ita esse factum, ut dicis. Sed mi hoc responde.

MENAECHMVS SOSICLES.

Roga.

MENAECHMVS.

Quod erat nomen nostrae matri?

MENAECHMVS SOSICLES.

Theusimarche.

MENAECHMVS.

Convenit.
O salve, insperate, multis annis post quem conspicor,
Frater!

MENAECHMVS SOSICLES.

Et tu, quem ego multis miseriis, laboribus,
Vsque adhuc quaesivi, quemque ego esse inventum gaudeo!

MESSENIO.

Hoc erat, quod haec te meretrix huius vocabat nomine:
Hunc censebat te esse, credo, quom vocat te ad prandium.

MENAECHMVS.

Namque edepol mi hic hodie iussi prandium adpararier
Clam meam uxorem: quia pallam surpui dudum domo,
Eam dedi huiic.

MENAECHMVS SOSICLES.

Hancne dicis, frater, pallam, quam ego habeo?

MENAECHMVS.

Quomodo haec ad te pervenit?

MENAECHMVS SOSICLES.

Meretrix huc ad prandium
Med abduxit; sibi dedisse me aibat: prandi perbene,
Potavi atque adcubui scortum; pallam, et aurum hoc mihi dedit.

MENAECHMVS.

Gaudeo edepol, si quid propter me tibi evenit boni:
Nam illa quom te ad se vocabat, me ted esse credidit.

MESSENIO.

Numquid me morare, quin ego liber, ut iussisti, eam?

MENAECHMVS.

Optumum atque aequissumum orat, frater: fac causa mea.

MENAECHMVS SOSICLES.
Liber esto.
MENAECHMVS.
Quom tu es liber, gaudeo, Messenio.
MESSENIO.
Sed meliore est opus auspicio: liber perpetuo ut siem.
MENAECHMVS SOSICLES.
Quoniam haec evenerunt nostra, frater, ex sententia,
In patriam redeamus ambo.
MENAECHMVS.
Frater, faciam, ut tu voles:
Auctionem hic faciam et vendam, quidquid est. Nunc interim
Eamus intro, frater.
MENAECHMVS SOSICLES.
Fiat.
MESSENIO.
Scitin', quid ego vos rogo?
MENAECHMVS.
Quid?
MESSENIO.
Praeconium ut mihi detis.
MENAECHMVS.
Dabitur.
MESSENIO.
Ergo nunc iam
Vis conclamari auctionem fore?
MENAECHMVS.
Quidni? Die septimi.
MESSENIO.
Auctio fiet Menaechmi mane sane septimi.
Venibunt servi, supellex, fundi, aedes. Omnia
Venibunt, quiqui licebunt, praesenti pecunia.
Vxor venibit quoque etiam, si quis emtor venerit.
Vix credo auctione tota capiet quinquagesies.
Nunc, spectatores, valete et nobis clare adplaudite!

MERCATOR.

ARGVMENTVM.

Mercatum missus ab suo adolescens patre
Emit atque apportat scita forma mulierem.
Requirit, quae sit, postquam eam vidit, senex.
Confingit servus, emtam matri pedisequam.
Amat senex hanc ac, se simulans vendere,
Tradit vicino. Eum uxor illius putat
Obduxe scortum sibi. Charinum ex fuga
Retrahit sodalis, postquam amicam invenerat.

ALIVD ARGVMENTVM.

Mercatum adsiduum filium extrudit pater.
Is peregre mitis redimit ancillam hospitis,
Amore captus. Vt venit, navi exiit.
Pater advolat atque visam ancillam deperit;
Quoius sit, percontatur. Servus pedisequam
Ab adolescente ipsius emtam matri ait.
Senex, sibi prospiciens, ut amico suo
Veniret, natum orabat; natus, ut suo:.
Hic filium subdiderat vicini; pater
Vicinum. Praemercatur ancillam senex.
Eam domi deprensam coniunx illius
Vicini scortum insimulat: protelat virum.
Mercator exspes patria fugere destinat;
Prohibetur a sodale, qui illius patrem
Cum patre exorat, nato uti cedat suo.

DRAMATIS PERSONAE.

CHARINVS.
EVTYCHVS.
ACANTHIO.
DEMIPHO.
LYSIMACHVS.
PASICOMPSA.
DORIPPA.
SYRA.
COCVS.
LORARII.

PRO-

PROLOGVS.

CHARINVS.

Duas res simul nunc agere decretum est mihi: i. s. I,
Et argumentum et meos amores eloquar.
Non ego item facio, ut alias in comoediis
Vidi facere amatores, qui aut nocti aut die
Aut soli aut lunae miserias narrant suas,
Quos pol ego humanas creduo querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint:
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.
Graece haec vocatur Emporos Philemonis;
Eadem latine Mercator Marci Attici.
Pater ad mercatum hinc me meus misit Rhodum
(Biennium iam factum est, postquam abii domo);
Ibi amare occoepi forma eximia mulierem.
Sed eam ut sim inplicitus, dicam, si opera est auribus
Atque ad vortendum huc animum adest benignitas.
Et hoc parum etiam more maiorum institi:
Per mea contatus vos sum, quam dixi eloco.
Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent,
Cura, aegritudo, nimiaque elegantia.

Haec non modo illum, qui amat, sed, quemque attigit,
Magno atque solido multat infortunio;
Nec pol profecto quisquam sine grandi malo,
Praequam res patitur, studuit elegantiae.
Sed amori accedunt etiam haec, quae dixi minus:
Insomnia, aerumna, error, terror et fuga,
Ineptia stultitiaque adeo et temeritas,
Incogitantia, excors inmodestia,
Petulantia, cupiditas et malevolentia;
Haeret etiam aviditas, residia, iniuria,
Inopia, contumelia et dispendium,
Multiloquium, pauciloquium. Hoc ideo fit, quia,
Quae nihil attingunt ad rem nec sunt usui, haec
Tam amator profert saepe advorso tempore;
Ac pauciloquium rursum idcirco praedico,
Quia nullus unquam amator adeo est callide
Facundus, quae in rem sint suam, ut possit loqui.
Nunc vos mi irasci ob multiloquium non decet:
Eodem, quo amorem, Venus mi hoc legavit die.
Illuc revorti certum: ut conata eloquar.
Principio atque ex ephebis aetate exii
Atque animus studio amotus puerili meust:
Amare valide coepi hinc meretricem eloco.
Res exulatum ad illam clam abibat patris;
Leno inportunus, dominus eius mulieris,
Vi summa quidque, ut poterat, rapiebat domum.
Obiurgare haec pater me noctis et dies:
Lenonum perfidiam, iniustitiam expromere:
Lacerari valide suam rem, illius augerier;
Summa haec clamore; interdum mussans; conloqui
Abnuere; negitare adeo me natum suom;

Conclamitare tota urbe et praedicere,
Omnes tenerent mutuitanti credere:
Amorem multos inlexe in dispendium:
Intemperantem, non modestum, iniurium,
Trahere, exhaurire me, quod quirem, ab se domo;
Rationem pessumam esse, ea, quae ipsus optuma
Omnis labores invenisset perferens,
Amoris vi diffunditari ac didier.
Convitium tot me annos iam se pascere;
Quod nisi puderet, ne luberet vivere.
Sese extemplo, ex ephebis postquam excesserit,
Non ut ego, amori neque desidiae in otio
Operam dedisse, neque potestatem sibi
Fuisse: adeo arte cohibitum se esse a patre;
Multo opere inmundo rustico se exercitum,
Nec nisi quinto anno quoque positum visere
Vrbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum a patre.
Ibi multo primum sese familiarium
Laboravisse, quom haec pater sibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi item metis;
Tibi denique istic pariet laetitiam labos.
Postquam recesset vita patrio corpore,
Agrum se vendidisse atque ea pecunia
Navim, metretas quae trecentas tolleret,
Parasse atque ea semper se invectatum undique
Adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona.
Me idem decere, si, ut deceret me, forem.
Ego me ubi invisum meo patri esse intellego
Atque odio me esse, quoi placere aequom fuit:
Amens amansque utut animum obfirmo meum;
Dico esse iturum me mercatum, si velit:

Amorem missum facere me, dum illi obsequar.
Agit gratias mi atque ingenium adlaudat meum;
Sed mea promissa non neglexit persequi:
Aedificat navim cercurum et mercis emit;
Parata navi, inponit; praeterea mihi
Talentum argenti ipsus sua adnumerat manu;
Servom una mittit, qui olim a puero parvolo
Mihi paedagogus fuerat, quasi uti mihi foret
Custos. His sic confectis navim solvimus,
Rhodum venimus, ubi quas mercis vexeram,
Omnis, ut volui, vendidi ex sententia,
Lucrum ingens facio praeterquam mihi meus pater
Dedit aestimatas mercis: ita peculium
Conficio grande. Sed dum in portu illi ambulo:
Hospes me quidam agnovit, ad coenam vocat.
Venio; decumbo, acceptus hilare atque ampliter.
Discubitum noctu ut imus: ecce ad me advenit
Mulier, qua mulier alia nulla est pulcrior.
Ea nocte mecum illa hospitis iussu fuit.
Vosmet videte, quam mihi valde placuerit:
Postridie hospitem adeo; oro, ut vendat mihi;
Dico, eius pro meritis gratum me et munem fore.
Quid verbis opus est? emid atque advexi heri.
Eam me advexisse nolo resciscat pater.
Modo eam reliqui ad portum in navi et servolum.
Sed, quid currentem servom a portu conspicor,
Quem navi abire vetui? Timeo, quid siet.

ACANTHIO. CHARINVS.

ACANTHIO.

Ex summis opibus viribusque usque experire! nitere, i. t. I, 2.
Herus ut minor opera tua servetur! Agedum, Acanthio,
Abige abs te lassitudinem! cave pigritiae praevorteris!
Simul enica suspiritus (vix subfero hercle anhelitum);
Simul autem eos plenissume, qui adversum eunt, aspellito,
Detrude, deturba in viam! Haec hic disciplina pessuma est:
Currenti properanti haud quisquam dignum habet decedere: t. t. c.
Ita tres simitu res agendae sunt, quando unam occoeperis:
Et currendum est et pugnandum et autem iurgandum in via.

CHARINVS.

Quid illuc, quod illic tam expedite exquirit cursuram sibi? i. t.
Cura est, negoti quid sit aut quid nuntiet.

ACANTHIO.

Nugas ago!
Quam maxume resisto, tam res in periclo vortitur!

CHARINVS.

Mali nescio quid nuntiat.

ACANTHIO.

Genua hunc cursorem deserunt!

Perii, seditionem facit lien, occupat praecordia!
Perii, animam nequeo vortere. Nimis nihili tibicen siem!
Nunquam edepol omnes balineae mi hanc lassitudinem eximent.
Domin' an foris dicam esse herum Charinum?

CHARINVS.

Ergo animi pendeo,
Quid illuc negoti sit! lubet scire ex hoc me: ut sim certior.

ACANTHIO.

At etiam adsto? at etiam cesso foribus facere hisce assulas? t. t. c.
Aperite aliquis! Vbi Charinus herus? domin' est an foris? —
Num quisquam adire ad ostium dignum arbitratur?

CHARINVS.

Ecce me, i. t.
Acanthio, quem quaeris!

ACANTHIO.

Nusquam est disciplina ignavior.

CHARINVS.

Quae te res male agitant?

ACANTHIO.

Multae, here, te atque me.

CHARINVS.

Quid est negoti? t. t.

ACANTHIO.

Periimus!

CHARINVS.

Principium inimicis!

ACANTHIO.

At tibi sortito obtigit. t. t. c.

CHARINVS.

Loquere id negoti, quidquid est?

ACANTHIO.

Placide: volo adquiescere. i. t.

CHARINVS.

At tu edepol sume laciniam atque absterge sudorem tibi.

ACANTHIO.

Tua causa rupi ramices. Iamdudum sputo sanguinem.

CHARINVS.

Resinam ex melle Aegyptiam vorato: salvom feceris.

ACANTHIO.

At tu edepol calidam picem bibito: aegritudo abscesserit.

CHARINVS.

Hominem ego iracundiorem, quam te, novi neminem. t. t. c.

ACANTHIO.

At ego maledicentiorem, quam te, novi neminem.

CHARINVS.

Si, saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo?

ACANTHIO.

Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quae advenit?

CHARINVS.

Dic mihi, an boni quid usquam est, quod quisquam uti possiet
Sine malo omni, ut ne laborem capias, cum illo uti voles?

ACANTHIO.

Nescio ego istaec: philosophari nunquam didici neque scio;
Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero.

CHARINVS.

Cedo tuam mihi dexteram! Agedum, Acanthio!

ACANTHIO.

Hem, dabitur: tene!

CHARINVS.

Vin' tu ted ob esse sequentem mi, an nevis?

ACANTHIO.

Opera licet
Experiri, qui me rupi causa currendo tua:
Vt, quae scirem, scire actutum tibi liceret!

CHARINVS.

Liberum
Tibi caput faciam cis paucos mensis.

ACANTHIO.

Palpo percutis.

CHARINVS.

Egon' ausim tibi usquam quidquam facinus falsum proloqui?
Quin iam, priusquam sum elocutus, scis, si mentiri volo.

ACANTHIO.

Ah, lassitudinem hercle verba tua mihi addunt! enicas! i. t.

CHARINVS.

Siccine mi obsequens es?

ACANTHIO.

Quid vis faciam?

CHARINVS.

Tun'? Id, quod volo . . .

ACANTHIO.

Quid id est igitur, quod vis?

CHARINVS.

Dicam.

ACANTHIO.

Dice.

CHARINVS.

At enim placide volo.

ACANTHIO.

Dormientis spectatores metuis, ne ex somno excites?

CHARINVS.

Vae tibi!

ACANTHIO.

Tibi equidem a portu adporto hoc.

CHARINVS.

Quid fers? dic mihi.

ACANTHIO.

Vim, metum, cruciatum, curam, iurgiumque atque inopiam.

CHARINVS.

Perii, tu quidem thesaurum huc mi adportavisti mali!
Nullus sum!

ACANTHIO.

Imo es . . . .

CHARINVS.

Scio iam; miserum dices.

ACANTHIO.

Tu dixisti; ego taceo.

CHARINVS.

Quid istuc est mali?

ACANTHIO.
Ne rogites! Maxumum infortunium est! t. t. c.
CHARINVS.
Obsecro, dissolve iam me! Nimis diu animi pendeo.
ACANTHIO.
Placide: multa exquirier etiam prius volo, quam vapulem.
CHARINVS.
Hercle vero vapulabis, nisi iam loquere aut hinc abis!
ACANTHIO.
Hoc sis vide, ut palpatur! Nullust, quando occoepit, blandior. i. t.
CHARINVS.
Obsecro hercle oroque, ut, istuc quid sit, actutum indices: t. t. c.
Quandoquidem mihi supplicandum servolo video meo.
ACANTHIO.
Tandem indignus videor?
CHARINVS.
Imo dignus.
ACANTHIO.
Equidem credidi.
CHARINVS.
Obsecro, num navis periit?
ACANTHIO.
Salva est navis: ne time.
CHARINVS.
Quid alia armamenta?
ACANTHIO.
Salva et sarta sunt.

CHARINVS.

Quin tu expedis,
Quid siet, quod me per urbem currens quaerebas modo?

ACANTHIO.

Tu quidem ex ore orationem mi eripis. Taceas face.
Credo, si boni quid ad te nuntiem, instes acriter,
Qui nunc, quom malum audiundum est, flagitas me, ut eloquar.

CHARINVS.

Obsecro hercle te, istuc ut tu mihi malum facias palam!

ACANTHIO.

Eloquar: quandoquidem oras. Tuos pater . . . . .

CHARINVS.

Quid meus pater?

ACANTHIO.

Tuam amicam . . . . .

CHARINVS.

Quid eam?

ACANTHIO.

Vidit.

CHARINVS.

Vidit? Vae misero mihi!
Qui videre potuit?

ACANTHIO.

Oculis.

CHARINVS.

Quo pactod? —

ACANTHIO.

Hiantibus.

CHARINVS.

In' hinc dierectus? Nugaris in re capitali mea!

ACANTHIO.

Qui, malum, ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondeo?

CHARINVS.

Hoc, quod te interrogo, responde.

ACANTHIO.

Quin tu, si quid vis, roga.

CHARINVS.

Certen' vidit?

ACANTHIO.

Tam hercle certe, quam ego ted ac tu me vides.

CHARINVS.

Vbi eam vidit?

ACANTHIO.

Intus intra navim uti prope adstiti
Et cum ea confabulatust.

CHARINVS.

Perdidistis me, pater
Et tute! Eho tu, quin cavisti, ne eam videret, verbero?
Quin abstrudebas, sceleste, ne eam conspiceret pater?

ACANTHIO.

Quia negotiosi eramus nostris nos negotiis:
Armamentis conplicandis, conponendis, studuimus.
Dum haec aguntur: lembo advehitur tuos pater pauxillulo,
Neque quisquam hominem conspicatust, donec in navi super.

CHARINVS.

Nequidquam maris subterfugi saevis tempestatibus!
Equidem iam me censebam esse in terra atque in tuto loco;
Verum video med ad saxa ferri saevis fluctibus.
Loquere porro, quid sit actum.

ACANTHIO.

Postquam adspexit mulierem:
Rogitare occoepit, quoia esset.

CHARINVS.

Quid respondit?

ACANTHIO.

Eloco
Occucurri atque interpello: matri te ancillam tuae
Emisse illam.

CHARINVS.

Visusne est tibi credere id?

ACANTHIO.

Etiam rogas?
Sed scelestus subagitare occoepit.

CHARINVS.

Illamne, obsecro?

ACANTHIO.

Mirum, quin me subagitaret.

CHARINVS.

Edepol cor miserum meum,
Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem!
Perii!

ACANTHIO.

Ehem, istuc unum verbum dixisti verissumum!

CHARINVS.

Stultitia istaec est! — Quid faciam? Credo, non
credet pater,
Si illam matri med emisse dicam; post autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet neque credibile est, forma eximia mulierem i. t.
Eam me emisse ancillam matri.

ACANTHIO.

Non taces, stultissume?
Credet hercle: nam credebat iam mihi.

CHARINVS.

Metuo miser, t. t. c.
Ne patrem prehendat, ut sit gesta res, suspicio.
Hoc, quod te rogo, responde, quaeso, Acanthio.

ACANTHIO.

Quid rogas?

CHARINVS.

Num esse amicam suspicari visus est?

ACANTHIO.

Non visus est.
Quin quidque, ut dicebam, mihi credebat.

CHARINVS.

Verum, ut tibi quidem
Visus est.

ACANTHIO.

Non; sed credebat.

CHARINVS.

Vae mihi misero! nullus sum!
Sed quid ego hic nunc lamentando pereo, ad navim non eo?
Sequere.

ACANTHIO.

Si istac ibis: commodum obviam venies patri.
Postquam ted adspiciet timidum esse atque exanimatum: eloco
Retinebit, rogitabit, unde illam emeris, quanti emeris;
Te tentabit.

CHARINVS.

Quin hac ibo potius. Iam censes patrem
Abiisse a portu?

ACANTHIO.

Quin ea ego huc praecucurri gratia:
Ne te opprimeret inprudentem atque electaret.

CHARINVS.

Optume.

DEMIPHO.

Miris modis di ludos faciunt hominibus i. s. II, 1.
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hac, quae praeteriit, proxuma
In somnis egi satis et fui homo exercitus.
Mercari visus mihi sum formosam capram.
Ei ne noceret, quam domi ante habui capram,
Neu discordarent, si ambo in uno essent loco:
Posterius quam mercatus fueram, visus sum
In custodelam simiae concredere.
Ea simia adeo post haud multo ad me venit,
Male mihi precatur et facit convitium:
Ait sese illius opera atque adventu caprae
Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter:

Dicit capram, quam dederam servandam sibi,
Suae dotem uxoris ambadedisse. Oppido
Mi illuc videri mirum, ut una illaec capra
Uxoris dotem simiae ambadederit.
Instare factum simia atque hoc denique
Respondet: ni properem illam ab sese abducere,
Ad me domum ad uxorem introducturum meam.
Atque oppido hercle bene velle illud visus sum;
Ast non habere, quoi commendarem capram:
Quo mage, quid facerem, cura cruciabar miser.
Interea ad me hoedus visust adgredirier,
Infit mihi praedicare: sese ab simia
Capram abduxisse, et coepit inridere me.
Ego enim lugere atque illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere somnium,
Nequeo invenire; nisi capram illam suspicor
Iam me invenisse, quae sit aut quid voluerit.
Ad portum hinc abii mane cum luci simul,
Postquam hic, quod volui, transegi: atque ego conspicor
Navem ex Rhodo, qua heri est advectus filius.
Conlubitum est illud mihi, nescio qui, visere.
Ascendi in lembum atque ad navim advehor:
Atque ego illi adspicio forma eximia mulierem,
Filius quam advexit meus matri ancillam suae;
Quam ego postquam adspexi: non ita amo, ut sani solent
Homines; sed eodem pacto, ut insani solent.
Amavi hercle equidem ego olim in adulescentia;
Verum ad hoc exemplum nunquam, ut nunc insanio.
Nunc hoc profecto sic est: haec illa est capra.

Sed

Sed simia illa atque hoedus timeo quid velint.
Vnum quidem hercle iam scio: periisse me;
Vosmet videte ceterum, quanti siem.
Sed conticescam: vicinum eccum, exit foras.

LYSIMACHVS. DEMIPHO. LORARII.

LYSIMACHVS.

Profecto ego illunc hircum castrari volo, i. s, II, 2
Ruri qui nobis exhibet negotium.

DEMIPHO.

Neque omen illud mihi neque auspicium placet:
Quasi hircum metuo ne uxor me castret mea,
Atque illius haec nunc simiae partis ferat.

LYSIMACHVS.

I tu hinc ad villam atque istos rastros villico
Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum.
Vxori facito ut nunties, negotium
Mihi esse in urbe, ne me exspectet: nam mihi
Tres hodie litis iudicandas dicito.
I et hoc memento dicere.

LORARIVS.

Numquid amplius?

LYSIMACHVS.

Tantum est.

DEMIPHO.

Lysimache, salved.

LYSIMACHVS.

Euge, Demipho,
Salveto. Quid fit? quid agis?

DEMIPHO.

Quod miserrumus.

LYSIMACHVS.

Di melius faxint!

DEMIPHO.

Di hoc quidem faciunt.

LYSIMACHVS.

Quid est?

DEMIPHO.

Dicam, tibi si videam esse operam aut otium.

LYSIMACHVS.

Quamquam negotium est: si quid vis, Demipho,
Non sum occupatus unquam amico operam dare.

DEMIPHO.

Benignitatem tuam mi experto praedicas.
Quid tibi ego aetatis videor?

LYSIMACHVS.

Acheronticus,
Senex vetus, decrepitus.

DEMIPHO.

Pervorse vides:
Puer sum, Lysimache, septuennis.

LYSIMACHVS.

Sanun' es,
Qui puerum te esse dicas?

DEMIPHO.

Vera praedico.

LYSIMACHVS.

Modo hercle in mentem venit, quid tu diceres:
Senex quom extemplo est, iam nec sentit nec sapit,
Aiunt, solere eum rursum repuerascere.

DEMIPHO.

Imo bis tanto valeo, quam valui prius.

LYSIMACHVS.

Bene hercle factum et gaudeo.

DEMIPHO.

Imo si scias:
Oculis quoque etiam plus iam video, quam prius.

LYSIMACHVS.

Bene est.

DEMIPHO.

Malam rem dico.

LYSIMACHVS.

Iam istuc non bonum est.

DEMIPHO.

Sed ausimne ego tibi eloqui, si quid velim?

LYSIMACHVS.

Audacter.

DEMIPHO.

Animum advorte.

LYSIMACHVS.

Fiet sedulo.

DEMIPHO.

Hodie ire in ludum occepi literarium,
Lysimache. Ternas scio iam.

LYSIMACHVS.

Quid? ternas?

DEMIPHO.

AMO.

LYSIMACHVS.

Tun' capite cano amas, senex nequissume?

DEMIPHO.

Si canum, si istuc rutilum, sive atrum est: amo.

LYSIMACHVS.

Ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho.

DEMIPHO.

Decide collum, si falsum ad ted eloquor!

Vel, ut scias me amare, cape cultrum, seca
Digitum vel aurem vel tu nasum vel labrum;
Si movero me seu secari sensero,
Lysimache: auctor sum, amando med ut enices.

LYSIMACHVS.

Si unquam vidistis pictum amatorem, hem illic est:
Nam meo quidem animo vetulus, decrepitus, senex
Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.

DEMIPHO.

Nunc tu me, credo, castigare cogitas.

LYSIMACHVS.

Egon' te?

DEMIPHO.

Nihil est iam, quod tu mihi suscenseas:
Fecere tale ante alii spectati viri.
Humanum amare est, humanum autem ignoscere est.
Ne, sis, me obiurga: huc non voluntas me inpulit.

LYSIMACHVS.

Quin non obiurgo.

DEMIPHO.

At ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas.

LYSIMACHVS.

Egon' te? Ah, ne di siverint!

DEMIPHO.

Vide, sis, modo etiam.

LYSIMACHVS.

Visum est.

DEMIPHO.

Certen'?

LYSIMACHVS.

Perdis me! —
Hic homo ex amore insanit. — Numquid vis?

DEMIPHO.

Vale.

LYSIMACHVS.

Ad portum propero: nam ibi mihi negotium est.

DEMIPHO.

Bene ambulato.

LYSIMACHVS.

Bene vale.

DEMIPHO.

Bene sit tibi.
Quin mihi quoque etiam ad portum est negotium:
Nunc adeo ibo illuc. Sed optume gnatum meum
Video, eccum. Operiar hominem: hoc nunc mihi
viso opust,
Huic persuadere quomodo potis siem,
Vt illam vendat neve det matri suae:
Nam ei dono advexe audivi. Sed praecauto opust:
Ne hic illam me animum adiecisse aliqua sentiat.

CHARINVS. DEMIPHO.

CHARINVS.

Homo miserior me nullust aeque, opinor, as. ex b.
d. et t. d. br. II, 3.
Neque, advorsa quoi sint plura sempiterna!
Satin', quidquid est et quam rem agere occepi,
as. ex b. d. et i. h.

Proprium nequit mihi, quod cupio, evenire?
Ita mala mihi res obicitur aliqua,
Bonum quae meum conprimit consilium.
Miser amicam mihi paravi animi causa, pretio eripui, as. ex t. d. et i. d. c.
Ratus clam patrem posse habere. t. d.
Is rescivit et vidit et perdidit me. b. t.
Neque, is quom roget, quid loquar, cogitatum est:
Ita animi decem in pectore incerti certant;
Nec, quid corde nunc consili capere possim,
Scio; tantus cum cura meo est error animo,
Dum servi mei perplacet mihi consilium,
Dum rursum haud placet nec pater potis videtur
Induci, ut putet, matri ancillam emtam esse illam.
Nunc si dico, ut res est, atque illam mihi me
Emisse indico, quemadmodum existumet me?
Atque illam abstrahat, trans mare hinc venum asportet!
Scio, saevos quam sit, domo doctus. Igitur
Hoccine est amare? Arare mavelim, quam sic amare! t. t.
Iam hinc olim invitum domo extrusit ab sese; mercatum as. ex t. d. et i. d. c.
Iussit ire. Ibi hoc malum inveni! t. d.
Vbi voluptatem aegritudo vincat, quid ibi inest amoeni? t. t.
Nequidquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam: b. t.
Musca est meus pater, nil potest clam illum haberi,
Nec sacrum nec tam profanum quidquam est, quin ibi eloco adsit; t. t.

Nec, qui rebus meis confidam, mi ulla spes in corde certa est.

DEMIPHO.

Quid illuc est, quod solus secum fabulatur filius?
t. t. c.
Sollicitus mihi nescio quare videtur.

CHARINVS.

Attate,
Meus pater hic quidem est, quem video! Ibo: adloquar. Quid fit, pater?

DEMIPHO.

Vnde incedis? quid festinas, gnate mi?

CHARINVS.

Recte, pater.

DEMIPHO.

Ita volo; sed istuc quid est, tibi quod commutatust color?
Numquid tibi dolet?

CHARINVS.

Nescio quid meo animo est aegre, pater;
Postea nocte hac non quievi satis mea ex sententia.

DEMIPHO.

Per mare ut vectus, nunc oculi terram mirantur tui.

CHARINVS.

Magis opinor.

DEMIPHO.

Id est profecto; verum actutum abscesserit.
Ergo edepol palles: si sapias, eas ac decumbas domi.

CHARINVS.

Otium non est: mandatis rebus praevorti volo.

DEMIPHO.

Cras agito, perendie agito.

CHARINVS.

Saèpe ex te audivi, pater:
Re mandatae omnis sapientis primum praevorti decet.

DEMIPHO.

Age igitur: nolo advorsari advorsus tuam sententiam.

CHARINVS.

Salvos sum, siquidem isti dicto solida et perpetua est fides.

DEMIPHO.

Quid illuc est, quod ille a me solus se in consilium sevocat?
Iam non vereor ne eam me amare hic potuerit resciscere:
Quippe haud etiam quidquam inepte feci, amantes ut solent.

CHARINVS.

Res adhuc quidem hercle in tuto est: nam hunc nescire sat scio
De illa amica; quod si sciret, esset alia oratio.

DEMIPHO.

Quin ego hunc adgredior de illa?

CHARINVS.

Quin ego hinc me amolior? —
Eo ego, ut, quae mandata, amicus amicis tradam.

DEMIPHO.

Imo mane:
Paucula etiam sciscitare prius volo.

CHARINVS.

Dic, quid velis.

DEMIPHO.

Vsquene valuisti?

CHARINVS.

Perpetuo recte, dum quidem illic fui;
Verum in portum huc ut sum advectus, nescio qui animus mihi dolet.

DEMIPHO.

Nausea edepol factum credo; verum actutum abscesserit.
Sed quid ais? ecquam tu advexti tuae matri ancillam Rhodo?

CHARINVS.

Advexi.

DEMIPHO.

Quid? ea ut videtur mulier?

CHARINVS.

Non edepol mala.

DEMIPHO.

Vt morata est?

CHARINVS.

Nullam vidi melius mea sententia.

DEMIPHO.

Mihi quidem edepol visum est, quom illam vidi.

CHARINVS.

Eho, vidistin', pater?

DEMIPHO.

Vidi; verum non ex usu nostro est neque adeo placet.

CHARINVS.

Qui vero?

DEMIPHO.

Qui? Quia non nostra formam habet dignam domo:

Nihil opus nobis ancilla, nisi quae texat, quae molat,
Lignum caedat, pensum faciat, aedis verrat, vapulet,
Quaeque habeat cotidianum familiae coctum cibum.
Horunc illa nihilum quidquam facere poterit admodum.

CHARINVS.

Ea causa equidem illam emi, dono quam darem matri meae.

DEMIPHO.

Ne duis neu te advexisse dixeris.

CHARINVS.

Di me adiuvant!

DEMIPHO.

Labefacto paulatim. — Verum, quod praeterii dicere,
Neque illa matrem satis honeste tuam sequi poterit comes,
Neque sinam.

CHARINVS.

Qui vero?

DEMIPHO.

Quia illa forma matremfamilias
Flagitium sit si sequatur, quando incedat per vias:
Contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent,
Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium;
Inpleantur meae fores elogiorum carbonibus;
Atque, ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meae

Mihique obiectent lenocinium facere. Nam quid eo est opus?

CHARINVS.

Hercle quin tu recte dicis et tibi adsentor ego.
Sed quid illa nunc fiet?

DEMIPHO.

Recte: ego emero matri tuae
Ancillam aliquam non malam, viraginem forma mala,
Vt matrem addecet familias, aut Syram aut Aegyptiam:
Ea molet, coquet, conficiet pensum, pinsetur flagro;
Neque propter eam quidquam eveniet nostris foribus flagiti.

CHARINVS.

Quid, si igitur reddatur illi, unde emta est?

DEMIPHO.

Minume gentium.

CHARINVS.

Dixit se redhibere, si non placeat.

DEMIPHO.

Nihil istoc opust;
Litigare nolo ego vos qua, tuam autem adcusari fidem.
Multo edepol, si quid faciundum est, facere damnum mavolo,
Quam opprobramentum aut flagitium muliebre inferri domo.
Me tibi illam posse opinor luculente vendere.

CHARINVS.

Dum quidem hercle ne minoris vendas, quam ego emi, pater.

DEMIPHO.

Tace modo: senex est quidam, qui illam mandavit mihi
Vt emerem . . . . ad faciem istanc.

CHARINVS.

At mihi quidam adulescens, pater,
Mandavit, ad istancce faciem, ut illaec est, emerem sibi.

DEMIPHO.

Viginti minis opinor posse me illam vendere.

CHARINVS.

At, ego si velim, iam dantur septem et viginti minae.

DEMIPHO.

At ego . . . . .

CHARINVS.

Quin ego, inquam . . . .

DEMIPHO.

At nescis, quid dicturus sum: tace.
Tris minas adcudere etiam possum: ut triginta sient.

CHARINVS.

Quo vortisti?

DEMIPHO.

Ad illum, qui emit.

CHARINVS.

Vbinam est is homo gentium?

DEMIPHO.

Eccillum video: iubet quinque addere me etiam nunc minas.

CHARINVS.

Hercle illuncce di infelicent, quisquis est!

DEMIPHO.

Ibidem mihi
Etiam nunc adnutat, addam sex minas.

CHARINVS.

Septem mihi . . .

DEMIPHO.

Nunquam edepol me vincet hodie!

CHARINVS.

Commodis poscit, pater.

DEMIPHO.

Nequidquam poscit: ego habebo!

CHARINVS.

At illic pollicitust prior.

DEMIPHO.

Nihili facio.

CHARINVS.

Quinquaginta poscit.

DEMIPHO.

Non centum datur.
Potin', ut ne licitere advorsus animi mei sententiam?
Maxumam hercle habebis praedam: ita ille est, quoi emitur, senex.
Sanus non est ex amore illius: quod posces, feres.

CHARINVS.

Certo edepol adulescens ille, quoi ego emo, ecflictim perit
Eius amore.

DEMIPHO.

Multo hercle ille mage senex, si tu scias.

CHARINVS.

Nunquam edepol fuit neque fiet ille senex insanior

Ex amore, quam ille adulescens, quoi ego do hanc operam, pater.

DEMIPHO.

Quiesce, inquam: istanc rem ego recte videro.

CHARINVS.

Quid agis?

DEMIPHO.

Quid est? i. t.

CHARINVS.

Non ego illam mancupio accepi.

DEMIPHO.

Sed ille illam accipiet: sine! t. t. c.

CHARINVS.

Non potes tu lege vendere illam.

DEMIPHO.

Ego aliquid videro.

CHARINVS.

Post autem conmunist illa cum alio mihi: qui scio,
Quid sit ei animi, venirene eam velit, an non velit?

DEMIPHO.

Ego scio, velle.

CHARINVS.

At pol ego esse credo aliquem, qui non velit.

DEMIPHO.

Quid id mea refert?

CHARINVS.

Quia illi suam rem esse aequom est in manu. i. t.

DEMIPHO.

Quid ais . . . . ?

CHARINVS.

Conmunis mihi illa est cum alio: is nunc hic non adest . . . .

DEMIPHO.
Prius respondes, quam rogo.
CHARINVS.
Prius tu emis, quam vendo, pater.
Nescio, inquam, velit ille illam, necne, abalienarier.
DEMIPHO.
Quid illic quidam, qui mandavit, quom ille nolet?
Nihil agis.
Nunquam edepol quisquam illam habebit potius, quam ille, ego quem volo.
Certum est!
CHARINVS.
Censen', certum esse?
DEMIPHO.
Quin ad navim iam hinc eo:
Ibi venibit.
CHARINVS.
Vin' me tecum illo ire?
DEMIPHO.
Nolo.
CHARINVS.
Non placet.
DEMIPHO.
Meliust, te, quae sunt mandatae res tibi, praevortier.
CHARINVS.
Tu prohibes?
DEMIPHO.
At tu excusato: te fecisse sedulo.
Ad portum ne bitas, e dico iam tibi.
CHARINVS.
Auscultabitur. i. t.

Demipho.

Ibo ad portum et (ne hic resciscat cauto opust) non ipse emam; t. t. c.
Sed Lysimacho amico mandabo: is se ad portum dixerat
Ire dudum. Me moror, quom hic adsto.

Charinvs.

Nullus sum! occidi!

CHARINVS. EVTYCHVS.

Charinvs.

Pentheum diripuisse aiunt Bacchas; nugas maxumas t. t. c. II, 4.
Fuisse credo, praeut quo pactod ego divorsus distrahor.
Cur ego vivo? cur non morior? quid mi est in vita boni?
Certum est, ibo ad medicum atque ibi me toxico morti dabo:
Quando id mi adimitur, qua causa vitam cupio vivere.

Evtychvs.

Mane, mane, obsecro, Charine!

Charinvs.

Qui me revocat?

Evtychvs.

Eutychus,
Tuos amicus et sodalis, simul vicinus proxumus.

Chari-

CHARINVS.

Non tu scis, quantum malarum rerum sustineam.

EVTYCHVS.

Scio:

Omnia ego istaec auscultavi ab ostio; omnem rem scio.

CHARINVS.

Quid id est, quod scis?

EVTYCHVS.

Tuos pater volt vendere . . . .

CHARINVS.

Omnem rem tenes.

EVTYCHVS.

Tuam amicam. . . . .

CHARINVS.

Nimium multum scis.

EVTYCHVS.

Tuis ingratiis.

CHARINVS.

Plurimum tu scis. Sed qui scis, esse amicam illanc meam?

EVTYCHVS.

Tute heri ipsus mihi narrasti.

CHARINVS.

Satin' ut oblitus fui,

Tibi me narravisse?

EVTYCHVS.

Haud mirum factum est.

CHARINVS.

Te nunc consulo.

Responde, quo leto censes me ut peream potissumum?

EVTYCHVS.

Non taces? Cave tu istuc dixis.

CHARINVS.

Quid vis me igitur dicere?

EVTYCHVS.

Vin' patri sublinere pulcre me os tuo?

CHARINVS.

Sane volo.

EVTYCHVS.

Visne eam ad portum . . . .

CHARINVS.

Qui potius, quam voles?

EVTYCHVS.

Atque eximam

Mulierem pretio?

CHARINVS.

Qui potius, quam auro expendas?

EVTYCHVS.

Vnde?

CHARINVS.

Ab Atridis. t. t.

Achilem orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit.

EVTYCHVS.

Sanun' es?

CHARINVS.

Pol sanus si sim: non te medicum mi expetam.

EVTYCHVS.

Tanti, quanti poscit, vin' tanti emier illam?

CHARINVS.

Auctarium

Adicito vel mille nummum plus, quam poscet.

EVTYCHVS.

Iam tace.

Sed quis ais? Vnde erit argentum, quod des, quom poscet pater?

CHARINVS.

Invenietur, exquiretur, aliquid fiet.

EVTYCHVS.

Enicas.

Iam istuc „Aliquid fiet" metuo.

CHARINVS.

Quin taces?

EVTYCHVS.

Muto imperas.

CHARINVS.

Satin' istuc mandatum est?

EVTYCHVS.

Potin', ut aliud cures?

CHARINVS.

Non potest.

EVTYCHVS.

Bene vale.

CHARINVS.

Non edepol possum, priusquam tu ad me redieris.

EVTYCHVS.

Melius sanus sis.

CHARINVS.

Vale et vince et me serva!

EVTYCHVS.

Ego fecero.

Domi maneto me.

CHARINVS.

Ergo actutum face cum praeda recipias!

LYSIMACHVS. PASICOMPSA.

LYSIMACHVS.

Amice amico operam dedi, vicinus quod rogavit: i. t. c. III, 1.
Hoc emi mercimonium. — Mea es tu: sequere sane.
Ne plora. Nimis stulte facis: oculos conrumpis talis.
Quin tibi quidem, quod rideas, magis est, quam, ut lamentere.

PASICOMPSA.

Amabo ecastor, mi senex, eloquere . . . .

LYSIMACHVS.

Exquaere quidvis.

PASICOMPSA.

Cur emeris me.

LYSIMACHVS.

Tene ego? Vt, quod imperetur, facias.
Item quod tu mihi imperes, ego faciam.

PASICOMPSA.

Facere certum est
Pro copia et sapientia, quae te velle arbitrabor.

LYSIMACHVS.

Laboriosi nil tibi quidquam operis imperabo.

PASICOMPSA.

Namque edepol equidem, mi senex, non didici baiulare
Nec pecua ruri pascere neque pueros nutricare.

LYSIMACHVS.

Bona si esse vis: bene erit tibi.

PASICOMPSA.

Tum pol ego perii misera.

LYSIMACHVS.

Qui?

PASICOMPSA.

Quia illi, unde huc advecta sum, malis bene esse solitum est.

LYSIMACHVS.

Oratio edepol pluris est huius, quam quanti haec emta est. —
Quasi dicas, nullam mulierem bonam esse.

PASICOMPSA.

Haud equidem dico
Nec mos meust, ut praedicem, quod ego omnis scire credam.

LYSIMACHVS.

Rogare hoc unum te volo.

PASICOMPSA.

Roganti respondebo.

LYSIMACHVS.

Quid ais tu? quod nomen tibi dicam esse?

PASICOMPSA.

Pasicompsae.

LYSIMACHVS.

Ex forma nomen inditum est. Sed quid ais, Pasicompsa?
Possin' tu, si usus venerit, subtemen tenue nere?

PASICOMPSA.

Possim.

LYSIMACHVS.

Si tenue scis: scio, te uberius posse nere.

PASICOMPSA.

De lanificio neminem metuo, una aetate quae sit.

LYSIMACHVS.

Bonam hercle te et frugi arbitror, matura iam de aetate
Quom scis facere officium tuom, mulier.

PASICOMPSA.

Pol docta didici.
Operam adcusari non sinam meam.

LYSIMACHVS.

Hem, istaec hercle res est:
Ovem tibi eccillam dabo, natam annos sexaginta,
Peculiarem.

PASICOMPSA.

Mi senex, tam vetulam?

LYSIMACHVS.

Generis Graii est.
Eam si curabis, perbona est: tondetur nimium scite.

PASICOMPSA.

Honoris causa, quidquid est, quod dabitur, gratum habebo.

LYSIMACHVS.

Nunc, mulier, ne frustra sies, mea non es: ne arbitrere.

PASICOMPSA.

Dic igitur, quaeso, quoia sum?

LYSIMACHVS.

Tuo hero redemta es rursum.
Ego redemi te: ille med oravit.

PASICOMPSA.

Animus rediit,
Si mecum servatur fides.

LYSIMACHVS.

Bono animo es: liberabit
Illic te homo. Edepol deperit, atque hodie primum vidit.

PASICOMPSA.

Ecastor iam biennium est, quom mecum coeperat rem.
Nunc, quando amicum te scio esse illius, indicabo.

LYSIMACHVS.

Quid ais tu? Iam biennium est, quom tecum habet rem?

PASICOMPSA.

Certo; et
Inter nos coniuravimus, ego cum illo et ille mecum,
Ego cum viro, illic cum muliere, nisi cum illo aut ille mecum,
Neuter stupri causa caput limaret.

LYSIMACHVS.

Di inmortales,
Etiam cum uxore non cubet?

PASICOMPSA.

Amabo, an est maritus?
Neque est neque erit!

LYSIMACHVS.

Nolim quidem. — Homo hercle periuravit.

PASICOMPSA.

Nullum adulescentem plus amo.

LYSIMACHVS.

Puer quidem ille est, stulta:
Nam illi quidem haud sane diu est quom dentes exciderunt.

PASICOMPSA.

Quid? dentes?

LYSIMACHVS.

Nihil est. Sequere, sis, huc me: diem unum oravit
Vt apud me praehiberem locum ideo, quia uxor ruri est.

DEMIPHO.

Tandem inpetravi, ut egomet me conrumperem: i. s. III, 2.
Emta est amica clam uxorem et clam filio.
Certum est: antiqua recolam et servibo mihi!
Decurso in spatio breve quod vitae reliqüom est,
Voluptate vino et amore delectavero!
Nam hanc se bene habere aetatem nimio est aequius.
Adulescens quom sis: tum, quom est sanguis integer,
Rei quaerundae convenit te operam dare;
Demum igitur, quom senex sis, tunc in otium
Te conloces, dum pote, et ames: si id iam lucro est,
Quod vivis. Hoc ut dico, factis persequar.
Interea tamen huc intro ad me invisam domum:
Vxor me exspectat iamdudum esuriens domi.
Iam iurgio enicabit, si intro rediero.
Verum hercle postremo, utut est, non ibo tamen;
Sed hunc vicinum prius conveniam, quam domum
Redeam: ut mihi aedis aliquas conducat, volo,
Vbi habitet istaec mulier. Atque, eccum, it foras.

LYSIMACHVS. DEMIPHO.

LYSIMACHVS.

Adducam ego illum iam ad te, si convenero. i. s. III, 3

DEMIPHO.

Me dicit.

LYSIMACHVS.

Quid ais, Demipho?

DEMIPHO.

Est mulier domi?

Quid censes, quid, si visam?

LYSIMACHVS.

Quid properas? Mane.

DEMIPHO.

Quid faciam?

LYSIMACHVS.

Quod opust facto, facito ut cogites.

DEMIPHO.

Quid cogitem? Equidem hercle opus hoc facto exi-
stumo
Vt introeam.

LYSIMACHVS.

Itane vero, vervex? intro eas?

DEMIPHO.

Quid aliud faciam?

LYSIMACHVS.

Prius hoc ausculta atque ades:
Prius etiam est, quod te facere ego aequom censeo.
Nam nunc si illo introdieris: amplecti voles
Confabulari atque osculari.

DEMIPHO.

Tu quidem
Meum animum gestas: scis, quid acturus siem.

LYSIMACHVS.

Pervorse facies.

DEMIPHO.

Quodne ames?

LYSIMACHVS.

Tanto minus.
Ieiunitatis plenus, anima foetida,
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Vtine adveniens vomitum excutias mulieri?

DEMIPHO.

Scio pol, te amare, quom istaec praemonstras mihi.
Quid, si igitur (unum factum hoc si censes) cocum
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat
Apud te hic usque ad vesperum?

LYSIMACHVS.

Hem istuc censeo.
Nunc tu sapienter loqueris, et amatorie.

DEMIPHO.

Quid stamus? quin ergo imus atque obsonium
Curamus: pulcre ut simus?

LYSIMACHVS.

Equidem te sequor.
Atque hercle invenies tu locum illi, si sapis:
Nullum hercle praeter hunc diem illa apud me erit:
Metuo ego uxorem, cras si rure redierit,
Ne illam hic obfendat.

DEMIPHO.

Res parata est: sequere me.

CHARINVS. EVTYCHVS.

CHARINVS.

Sumne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere? t. t. c. III, 2.
Si domi sum, foris est animus; sin foris sum, animus domi est.
Ita mi in pectore atque in corde facit amor incendium:
Ni oculos lacrumae defendant, iam ardeat, credo, caput.
Spem teneo; salutem amisi: redeat, an non, nescio.
Si opprimit pater, quod dixit: exulatum abiit salus;
Sin sodalis, quod promisit, fecit: non abiit salus.
Sed iamdudum, si podagrosis pedibus esset Eutychus,
Tam rediisse a portu potuit! Id ei vitium maxumum est,
Quod nimis tardus est, advorsum mei animi sententiam.
Sed isne est, quem currentem video? — Is ipsus est! Ibo obviam. i. t.
Divom atque hominum quae spectatrix atque hera eadem es hominibus, t. t. c.
Spem speratam quom obtulisti mi hancce, tibi gratis ago! —
Nam quid restat? Eheu, disperii! voltus ne utiquam huius placet! —
Tristis cedit. Pectus ardet. Haereo. Quassat caput . . . .
Eutyche!

EVTYCHVS.

Heus, Charine!

CHARINVS.

Priusquam recipias anhelitum,
Vno verbo eloquere: ubi ego sum? hiccine, an apud mortuos?

EVTYCHVS.

Neque apud mortuos neque hic es.

CHARINVS.

Salvos sum! inmortalitas
Mihi data est! hic emit illam! pulcre os sublevit patri!
Inpetrabilior qui vivat, nullus est! Dic, obsecro:
Si neque hic neque Acherunti sum, ubi sum?

EVTYCHVS.

Nusquam gentium.

CHARINVS.

Disperii! modo interemit illaec med oratio! —
Quidquid est, ad capita rerum perveni.

EVTYCHVS.

Primum omnium
Periimus.

CHARINVS.

Quin tu illud potius nuntias, quod nescio?
Odiosa est oratio, quom rem agas, longinquom loqui.

EVTYCHVS.

Mulier alienata est abs te.

CHARINVS.

Eutyche, capital facis.

EVTYCHVS.

Qui?

CHARINVS.

Quia aequalem et sodalem civem liberum enicas.

EVTYCHVS.

Ne di sirint!

CHARINVS.

Demisisti gladium in iugulum! iam cadam!

EVTYCHVS.

Quaeso hercle: animum ne desponde!

CHARINVS.

Nullust, quem despondeam.
Loquere porro aliam malam rem: quoi est emta?

EVTYCHVS.

Nescio.
Iam addicta atque abducta erat, quom ad portum venio.

CHARINVS.

Vae mihi!
Montis tu quidem mali in me ardentis iamdudum iacis! —
Perge, excrucia, carnufex: quandoquidem occepisti semel!

EVTYCHVS.

Nec tibi istuc magis dividiai est, quam mihi hodie fuit.

CHARINVS.

Dic, quis emit?

EVTYCHVS.

Nescio hercle.

CHARINVS.

Hem, istuccin' est operam dare
Bonum sodalem?

EVTYCHVS.

Quid me facere vis?

CHARINVS.

Idem, quod me vides, i. t.
Vt pereas! Quin percontatus, hominis quae facies foret, t. t. c.
Qui illam emisset: eo si pacto posset indagarier
Mulier?

EVTYCHVS.

Heu me miserum . . . . .

CHARINVS.

Flere omitte, istuc quod nunc agis!

EVTYCHVS.

Quid ego feci?

CHARINVS.

Perdidisti me et fidem mecum tuam!

EVTYCHVS.

Di sciunt, culpam meam non esse ullam istanc.

CHARINVS.

Eugepae,
Deos absentis testis memoras: qui ego istuc credam tibi?

EVTYCHVS.

Quin tibi in manu est, quod credas; ego, quod dicam, id mi in manu
Est.

CHARINVS.

De istac re argutus es, ut par pari respondeas;
Ad mandata claudus, coecus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas, te os sublinere meo patri: egomet credidi

Homini docto rem mandare, is lapidi mando maxumo.

EVTYCHVS.

Quid ego facerem?

CHARINVS.

Quid tu faceres, men' rogas? Requireres,
Rogitares, quis esset aut unde esset, qua prosapia;
Civisne esset, an peregrinus . . . .

EVTYCHVS.

Civem esse aibant Atticum.

CHARINVS.

Vbi habitaret, invenires saltem, si nomen nequires.

EVTYCHVS.

Nemo scire aiebat.

CHARINVS.

At saltem hominis faciem exquireres.

EVTYCHVS.

Feci.

CHARINVS.

Qua forma esse aiebant, Eutyche?

EVTYCHVS.

Ego dicam tibi:
Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum,
Subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum.

CHARINVS.

Non hominem mihi sed thesaurum nescio quem memoras mali.
Numquid est quod dicas aliud de illo?

EVTYCHVS.

Tantum, quod sciam.

CHARINVS.

Edepol nae ille oblongis malis mihi dedit magnum malum.
Non durare possum: certum est exulatum hinc ire me;
Sed quam capiam civitatem, cogito, potissumum:
Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Gnidum, Zacynthum, Lesbiam, an Boeotiam.

EVTYCHVS.

Cur istuc coeptas consilium?

CHARINVS.

Quia enim adflictat med amor.

EVTYCHVS.

Quid tu ais? quid, quom illuc, quo nunc ire paritas, veneris,
Si ibi amare forte occipias atque item eius sit inopia,
Iam inde porro aufugies, deinde item illinc, si item evenerit,
Quis modus tibi tandem exilio eveniet, qui finis fugae?
Quae patria aut domus tibi stabilis esse poterit? dic mihi.
Cedo, si hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas?
Si, id fore ita, sat animo acceptum, incertum id pro certo si habes:
Quan-

Quanto te satiust rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere,
Adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit?

CHARINVS.

Iam dixisti?

EVTYCHVS.

Dixi.

CHARINVS.

Frustra dixti: hoc mihi certissumum est.
Eo domum, patrem atque matrem ut meos salutem; postea
Clam patrem patria hac ecfugiam aut aliquid capiam consili!

EVTYCHVS.

Vt conripuit se repente atque abiit! Heu misero mihi!
Si ille abierit, mea factum omnes dicent esse ignavia.
Certum est praeconum iubere iam quantum est conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant; post ad praetorem eloco ibo: t. t.
Orabo ut conquisitores det mi in vicis omnibus: t. t. c.
Nam mihi nil relicti quidquam iam aliud esse intellego.

DORIPPA. SYRA.

DORIPPA.

Quoniam a viro ad me rus advenit nuntius, I. 5. IV, 1.
Rus non iturum: feci ego ingenium meum:
Reveni, ut illum persequar, qui me fugit.
Sed anum non video consequi nostram Syram.
Atque, eccam, incedit tandem! Quin is ocius?

SYRA.

Nequeo mecastor: tantum hoc onerist, quod fero.

DORIPPA.

Quid oneris?

SYRA.

Annos octoginta et quatuor;
Et eodem accedit servitus, sudor, sitis;
Simul haec, quae porto, deprimunt.

DORIPPA.

Aliquid, Syra,
Cedo, qui nostri hanc aram vicini augeam.

SYRA.

Da sane hanc virgam lauri.

DORIPPA.

Abi iam tu intro.

SYRA.

Eo.

DORIPPA.

Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius
Salutem et sanitatem nostrae familiae,
Meoque ut parcas gnato pace propitius!

SYRA.

Disperii! perii, misera! vae miserae mihi!

DORIPPA.

Satin' tu sana es, obsecro? quid eiulas?

SYRA.

Dorippa, mea Do—!

DORIPPA.

Quid volebas, obsecro?

SYRA.

Nescio quae mulier intus est in aedibus!

DORIPPA.

Quid? mulier?

SYRA.

Mulier meretrix.

DORIPPA.

Veron'?

SYRA.

Serio.

Nimium scis sapere, ruri quae non manseris.
Quamvis insipiens poterat persentiscere,
Illam esse amicam tui viri bellissumi.

DORIPPA.

Credo mecastor.

SYRA.

I hac mecum: ut videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Iuno mea.

DORIPPA.

Ecastor vero istuc eo quantum potest.

LYSIMACHVS.

Parum nunc est malae re, quod amat Demipho, i. s. IV, 2.
Ni sumtuosus insuper etiam siet!
Decem si vocasset summos ad coenam viros:
Nimium obsonavit. Sed cocos, quasi in mari
Solitust hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur. Egomet conduxi cocum.
Sed eum demiror non venire, ut iusseram.
Sed qui hinc nam a nobis exit? Aperitur foris.

DORIPPA. LYSIMACHVS.

DORIPPA.

Miserior mulier me nec fiet nec fuit, i. s. IV, 3
Tali viro quae nupserim! Heu miserae mihi!
Hem, quoi ted et, tu quae habeas, conmendas viro!
Hem, quoi decem talenta dotis detuli:
Haec ut viderem, ut ferrem has contumelias!

LYSIMACHVS.

Perii hercle, rure iam rediit uxor mea!
Vidisse credo mulierem intus aedibus.
Sed quae loquatur, exaudire hinc non queo:
Accedam propius.

DORIPPA.

Vae miserae mi!

LYSIMACHVS.

Imo mihi!

DORIPPA.

Disperii!

LYSIMACHVS.

Equidem hercule oppido perii miser!
Vidit! Vt omnes te, Demipho, di perduint!

DORIPPA.

Pol hoc est, ire quod rus meus vir noluit.

LYSIMACHVS.

Quid nunc ego faciam, nisi ut adeam atque adloquar?
Iubet salvere suos vir uxorem suam.
Vrbani fiunt rustici?

DORIPPA.

Pudicius
Faciunt illi, quam qui non fiunt rustici.

LYSIMACHVS.

Numquid delinquont rustici?

DORIPPA.

Ecastor minus
Quam urbani, et multo minus mali quaerunt sibi.

LYSIMACHVS.

Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi:
Cupio hercle scire.

DORIPPA.

Sic tu me tentas sciens?
Quoia illa mulier intust?

LYSIMACHVS.

Vidistine eam?

DORIPPA.

Vidi.

LYSIMACHVS.

Quoia ea sit, rogitas?

DORIPPA.

Resciscam tamen.

LYSIMACHVS.

Vin' dicam, quoia est? Illa . . . . illa edepol . . . .
Vae mihi!
Quid dicam, nescio.

DORIPPA.

Haeres? Haud vidi magis!
Quin' dicis?

LYSIMACHVS.

Quin, si liceat . . . .

DORIPPA.

Dictum oportuit.

LYSIMACHVS.

Non possum; ita instas: urges, quasi pro noxio.

DORIPPA.

Si innoxius's: audacter quamvis dicito!
Dic igitur!

LYSIMACHVS.

Ego dicam?

DORIPPA.

Atqui dicundum est tamen.

LYSIMACHVS.

Illa est . . . . Etiam vis nomen dicam?

DORIPPA.

Nihil agis.
Manufesto teneo! In noxia es!

LYSIMACHVS.

Qua noxia?
Istaec quidem illa est . . . .

DORIPPA.

Quae illa est?

LYSIMACHVS.

Illa . . . .

DORIPPA.

Io, hias?
Non tu scis, quae sit illaec?

LYSIMACHVS.

Imo etiam scio;
Tam, si nihil usus esset, iam non dicerem.
De istac sum iudex captus.

DORIPPA.

Iudex? Iam scio:
Huc tu in consilium istam advocavisti tibi.

LYSIMACHVS.

Imo sequestro mihi data est.

DORIPPA.

Intellego.

LYSIMACHVS.

Nihil hercle istius quidquam est.

DORIPPA.

Numero purgitas.

LYSIMACHVS.

Nimium negoti reperi! enimvero haereo!

COCVS. LYSIMACHVS. DORIPPA. SYRA.

COCVS.

Agite, ite actutum: nam mihi amatori seni
IV, 4.
Coquenda est coena; atque, equidem quom recogito,
Nobis coquenda est, non quoi conducti sumus;

Nam qui amat, quod amat, si id habet: id habet pro cibo,
Videre, amplectier, oscularier, adloqui;
Sed nos confido onustos redituros domum.
Ita hac. Sed eccum, qui nos conduxit, senex.

LYSIMACHVS.

Ecce autem, perii, cocus adest!

COCVS.

Advenimus.

LYSIMACHVS.

Abi!

COCVS.

Quid? abeam?

LYSIMACHVS.

St, abito!

COCVS.

Abeamne?

LYSIMACHVS.

Abi!

COCVS.

Non estis coenaturi?

LYSIMACHVS.

Iam saturi sumus.

DORIPPA.

Sed . . . .

LYSIMACHVS.

Interii!

DORIPPA.

. . . . Quid ais tu? etiamne illi tibi haec
Iusserunt ferri, quos inter iudex datus?

COCVS.

Haeccine tua est amica, quam dudum mihi
Te amare dixti, quom obsonabas?

LYSIMACHVS.

Non taces?

COCVS.

Satis scitum filum mulieris! Virum hercle avet.

LYSIMACHVS.

Abin' dierectus?

COCVS.

Haud mala est.

LYSIMACHVS.

At tu malus!

COCVS.

Scitam hercle opinor concubinam hanc!

LYSIMACHVS.

Non abis?

Non ego sum, qui te dudum conduxi.

COCVS.

Quid est?

Imo hercle tu istic ipsus.

LYSIMACHVS.

Vae misero mihi!

COCVS.

Nempe uxor ruri est tua, quam dudum dixeras
Ted odisse aeque atque anguis.

LYSIMACHVS.

Egon' istuc tibi?

COCVS.

Mihi quidem hercle.

LYSIMACHVS.

Ita me amabit Iupiter,
Vxor, ut ego illud nunquam dixi!

DORIPPA.

Etiam negas?

COCVS.

Non ted odisse, verum uxorem, aibat, suam.

DORIPPA.

Palam istaec sunt, te me odisse.

LYSIMACHVS.

Quin nego.

COCVS.

Et

Vxorem suam ruri esse aiebat.

LYSIMACHVS.

Haec ea est.

Quid mihi molestus?

COCVS.

Quia me non novisse ais.

Ne metuis tu istanc?

LYSIMACHVS.

Sapio: nam mihi unica est.

COCVS.

Vin' me experiri?

LYSIMACHVS.

Nolo.

COCVS.

Mercedem cedo.

LYSIMACHVS.

Cras petito: dabitur; nunc abi!

DORIPPA.

Heu miserae mihi!

LYSIMACHVS.

Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus:
Aliquid mali esse propter vicinum malum.

COCVS.

Cur hic adstamus?

LYSIMACHVS.

Quin abis?

COCVS.

Incommodi
Si quid tibi evenit, id non est culpa mea.

LYSIMACHVS.

Quin me eradicas miserum!

COCVS.

Scio iam, quid velis:
Nempe hinc me abire vis.

LYSIMACHVS.

Volo, inquam.

COCVS.

Abibitur.
Drachmam dato.

LYSIMACHVS.

Dabitur.

COCVS.

Dari ergo, sis, iube.
Potest interea, dum illi ponunt.

LYSIMACHVS.

Quin abis?
Potin', ut molestus ne sis?

COCVS.

Agite, adponite
Obsonium istuc ante pedes illi seni.
Haec vasa aut nox aut cras iubebo abs te peti.
Sequimini.

LYSIMACHVS.

Fortasse illum mirari cocum,
Quod venit atque haec attulit. Dicam, quid est.

DORIPPA.

Non miror, si quid damni facis aut flagiti,
Nec pol ego patiar, sic me nuptam tam male

Measque in aedis sic scorta obductarier.
Syra, i, rogato meum patrem verbis meis,
Vt veniat ad me iam simulde tecum.

SYRA.

Eo.

LYSIMACHVS.

Nescis, negoti quid sit, uxor, obsecro?
Conceptis verbis iam iusiurandum dabo,
Me nunquam quidquam cum illa .... Iamne abiit Syra?
Perii hercle! — Ecce autem haec abiit! Vae misero mihi!
At te, vicine, di deaeque perduint
Tua cum amica cumque amationibus!
Suspicione inplevit me indignissume!
Concivit hostis! — Dum uxor est acerruma:
Ibo ad forum atque Demiphoni haec eloquar,
Me istanc capillo protracturum esse in viam,
Nisi hinc abducit, quo volt, ex hisce aedibus.
Vxor, heus, uxor, quamquam tu irata es mihi,
Iubeas, si sapias, haec intro hinc auferrier:
Eadem licebit mox coenare rectius.

SYRA. EVTYCHVS.

SYRA.

Hera quo me misit, ad patrem, non est domi: i. s. IV, 5.
Rus abiisse aibant. Nunc domum renuntio.
Ecastor lege dura vivont mulieres

Multoque iniquiore miserae, quam viri.
Nam vir si scortum duxit clam uxorem suam:
Id si rescivit uxor, inpune est viro.
Vxor viro si clam domo egressa est foras:
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Vtinam lex esset eadem, quae uxori est, viro!
Nam uxor contenta est, quae bona est, uno viro:
Qui vir minus una uxore contentus siet?
Ecastor faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
Vt illae exiguntur, quae in se culpam conmerent,
Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.

EVTYCHVS.

Defessus sum urbem totam pervenarier;
Nihil investigo quidquam de illa muliere.
Sed mater rure rediit: nam video Syram
Adstare ante aedis. Syra!

SYRA.

Quis est, qui me vocat?

EVTYCHVS.

Herus atque alumnus tuos sum.

SYRA.

Salve, alumne mi.

EVTYCHVS.

Iam mater rure rediit? responde mihi.

SYRA.

Cum quidem salute familiai maxuma.

EVTYCHVS.

Quid istuc negoti est?

SYRA.

Tuos pater bellissumus
Amicam adduxit intro in aedis.

EVTYCHVS.

Quomodo?

SYRA.

Adveniens rure mater eam obsendit domi.

EVTYCHVS.

Pol haud censebam istarum esse operarum patrem.
Etiam nunc mulier intust?

SYRA.

Etiam.

EVTYCHVS.

Sequere me.

Hisce vett. editiones continuo ista attexunt:

Quid? Peristratam hic Demiphonis contuor? Grandit gradus,
Emittit oculos, circumfert sese, obstipat verticem.
t. t. c.
Adservabo hinc, verum quid gerat. Magnum est, quidquid quaeritat.

Quam scenam statim excipiunt duae aliae.

PERISTRATA. SYRA. LYCISSA.

PERISTRATA.

Diva Astarte, hominum deorumque vis, vita, salus; rursus eadem, quae es
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, coelum, sidera!
Iovis quaecunque templa colimus, eius ducuntur nutu, illi obtemperant.

Eam spectant. Quod illi displicet, facile excludunt ceteri;
Quicquid complacitum, id sequontur, quae vivont, omnia, atque sentiunt.
Alios enicat, extinguit; alios suo lacte fovet atque erigit; sed quos enicat,
Hi vivont et sapiunt; quos properat alere ac erigere,
Hi quidem confestim pereunt atque male sapiunt miseri.
Iacent bene valentes, odiosum humum mordent, caput reptant,
Fremunt perstrepuntque, cumque putant vivere, tunc ruunt maxume.
Tunc, cum student persequi, labant iuvenes; itidem rapiuntur senes.
Illi si amant: quod amant, amatum volunt atque cognitum;
Illi vero si amare ea aetate occeperunt, multo insaniunt acrius.
Verum si non amant, oderunt, molesti itidem atque difficiles,
Garruli, osores, infensi, iracundi, sibi suisque invidi.
Quod in se olim admisere turpiter, id si fiat modestius,
Nec tolerant, ut aequom est patres; sed clamant, indecenter obstrepunt.

SYRA.

Quantum intelligo, et hanc male habet Demipho.

PERISTRATA.

Id verum:
Amat filius et perit. Id quom rescivit pater, insanit vehementius.
Quae istaec intemperies? Abegit vir meus olim ipse ad mercatum Rhodum filium;
Nunc, ut fert Acanthio, ipse sibimet faciet exilium.
O iniquom patrem! o infortunatum filium! quo te recipies?
Vbi matrem relinques? sola degam? filium amittam? Non patiar!

Vendidit pater? Vbiubi erit inventa, mater redimet!
Dic tu, Lycissa, num in hanc viciniam adductam autumant?

LYCISSA.

In hanc opinor, in amici senis quoiusdam aedis.

PERISTRATA.

Hic praeter Lysimachum
Nullus, quem sciam.

SYRA.

Lysimachum nominant:
Mirum, ni senes vicini in unum nidum conspiraverint.

PERISTRATA.

Dorippam eius uxorem conveniam.

LYCISSA.

Quid? convenias? non eam vides?

PERISTRATA.

Video equidem. Auscultemus: nescio quid secum iracunda mussitat.

DORIPPA. SYRA. LYCISSA. PERISTRATA.

DORIPPA.

Syra non redit, quam arcessitum patrem iamdiu est quod miseram:
Tarda nimium aut lapis obriguit, aut angue demorsa cessavit turgida.

SYRA.

Nulla sum: adest hera; me quaerit!

DORIPPA.

Domi manere nequeo:
Bellulam istanc pellicem mei non patiuntur oculi. Exclusissem foras;
At me meus continuit Eutychus. Sed omnino, quod fert, non creduam.

LYCISSA.

Audin', hera?

PERISTRATA.

Audio. Sine pergat.

LYCISSA.

Sino.

DORIPPA.

Amici, inquit, senis
Gratia huc ad nos venisse. Habet venalem, amanti dum detrahat filio.
Haec quidem aut viri aut gnati fallacia: dissident sententiae.
Sequestro vir ait datam; eandem vero venalem dicit filius.

SYRA.

Ibo de improviso obviam, ne cessasse intelligat.

DORIPPA.

Istaec filio
Non credam, qui obsequitur patri; hunc vero, ut merum cuculum,
Id certum est mentiri ampliter. Equidem coquo creduam.
Eccam Syram! ut currit venefica!

SYRA.

Quis me vocat?

DORIPPA.

Malum quod di tibi dabunt!

SYRA.

Hera, si sapis, hoc potius
Tuae pellici et marito dato.

DORIPPA.

Istuc dictum tibi non amplius irascor.
Sed ubi pater? quid cessat? an hominem podagra impedit?

SYRA.

Nec podagricus neque articularius est, quem rus ducunt pedes.

DORIPPA.

Non domi?

SYRA.

Non.

DORIPPA.
Vbi?
SYRA.
Rure esse autumant;
Atque, numquid redeat, incertum, hodie: cum villico rationis satis.
DORIPPA.
Omnia mihi hodie eveniunt praeter sententiam. Non vivam vesperi,
Nisi illanc a me scelestam abigam! Eo domum.
LYCISSA.
Hera, abit.
PERISTRATA.
Hem, abit? compella.
LYCISSA.
Dorippa, Dorippa!
DORIPPA.
Quid molestiae
Hoc est? quis me revocat?
PERISTRATA.
Non sum molesta; sed benevolens
Et amica te compellat tua Peristrata. Mane, quaeso.
DORIPPA.
Hem, Peristrata, te pol non noram. Mala bilis cruciat
Me atque exagitat.
PERISTRATA.
Istuc nolo: quaeso, neges.
Te audivi modo: dic mihi, quae te nunc habet sollicitudo?
DORIPPA.
Peristrata, sic di tibi unicum gnatum sospitent, da mihi benignitis operam.
Nulla dare mihi poterit melius: par est aetas; una crevimus,
Pares aetate habemus viros; nulli colloquor lubentius.
Sollicitor merito quidem. Quid tibi animi esse nunc possiet,
Si amicam hac aetate ante oculos tuus adduxerit Demipho?

PERISTRATA.

Adduxit?

DORIPPA.

Factum.

PERISTRATA.

Domi est?

DORIPPA.

Domi; imo coqui

Conducti: parabatur convivium, ni meus disturbasset adventus omnia.

Senem miserum Venus et Cupido alieno satis vexant tempore.

PERISTRATA.

Sed ista levia sunt, Dorippa. Vtinam non ego essem miserior!

DORIPPA.

Levia?

PERISTRATA.

Levia quidem.

DORIPPA.

Quae peiora tibi tuus faceret?

PERISTRATA.

Imo peioribus peiora.

DORIPPA.

Quae istaec sunt? Quaeso, loquere:

Vt tu mihi, ego tibi, quae facto opus sunt, demus consilium.

Vetus id dictum est, Feliciter is sapit, qui periculo alieno sapit.

PERISTRATA.

Vnicus mihi, Dorippa, est gnatus. Scis?

DORIPPA.

Scio.

PERISTRATA.

Hunc pater

Olim a se extrusit Rhodum.

DORIPPA.

Quare?

PERISTRATA.

Quoniam amaret.

DORIPPA.

Ob id ipsum?

PERISTRATA.

Id quidem nunc quoque, quom ancillam domum
Adduxisset, hanc resciscens pater produxit, venalem praebuit.

DORIPPA.

Atat, novi: verum dixerat filius; ego mariti amicam putabam mei.
Quoi data est?

PERISTRATA.

Seni quoidam amico in hac vicinia.
Credo hic alium praeter tuum amicum habere neminem.

DORIPPA.

Ea quidem est. Quid filius?

PERISTRATA.

Vrbem hanc se deserturum autumat.

DORIPPA.

In portu res est. Quid, si invenerit?

PERISTRATA.

Mansurum credito.

DORIPPA.

Praeter spem salvae sumus, ne dubita: apud me ea est.

PERISTRATA.

Apud te? Ea erat, opinor, de qua loqui te audivi modo.

DORIPPA.

Ea.

PERISTRATA.

O factum bene! Merito te amo: restituisti filium.
Fac videam.

DORIPPA.

Eamus intro.

PERISTRATA.

Eamus. Lycissa, ades:
Acanthioni haec nuntia; ego ad Dorippam huc devortam.

CHARINVS.

Limen superum inferumque, salve, simul autem vale! t. t. c. V, 1
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.
Vsus, fructus, victus, cultus iam mihi harunc aedium
Interemtust, interfectust, alienatust! Occidi!
Di penates meum parentum, familiai Lar pater,
Vobis mando, meum parentum rem bene ut tutemini.
Ego mihi alios deos penatis persequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem: ab Atticis abhorreo:
Nam ubi mores deteriores increbescunt indies,
Vbi, qui amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere,
Vbique id eripiatur, animo tuo quod placeat maxume:
Ibi quidem si regnum detur, non est cupita civitas.

EVTYCHVS. CHARINVS.

EVTYCHVS.

Ecquisnam deus est, qui mea nunc laetus laetitia fuat? t. t. c. V, 2.
Domi erat, quod quaeritabam! Sex sodalis reperi,

Vitam, Amicitiam, Civitatem, Laetitiam, Ludum, Iocum;
Eorum inventu res decem simitu pessumas pessumdedi,
Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitium, Pertinaciam,
Moerorem, Lacrumas, Exilium, Inopiam, Solitudinem.
Date, di, quaeso, conveniundi mi eius celerem copiam!

CHARINVS.

Adparatus sum, ut videtis! Abicio superbiam:
Egomet mihi comes, calator, equos, agasod, armiger;
Egomet sum mihi imperator, idem egomet mi obedio:
Egomet mihi fero, quod usust. O Cupido, quantus es!
Nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facis,
Eundem ex confidente actutum diffidentem denuo.

EVTYCHVS.

Cogito, quonam ego illum curram quaeritatum.

CHARINVS.

Certa rest,
Me usque quaerere illam, quoquo hinc est abducta gentium,
Neque mihi ulla obsistet amnis neque mons neque adeo mare
Nec calor nec frigus; metuo neque ventum neque grandinem;
Imbrem perpetiar; laborem subferam, solem, sitim!

Non concedam neque quiescam usquam noctu neque diu
Prius profecto, quam aut amicam aut mortem investigavero!

EVTYCHVS.

Nescio quoia vox ad aurem mi advolavit.

CHARINVS.

Invoco
Vos, Lares viales, ut me bene tutetis!

EVTYCHVS.

Iupiter,
Estne illic Charinus?

CHARINVS.

Cives, bene valete!

EVTYCHVS.

Heus, eloco
Sta, Charine!

CHARINVS.

Qui me revocat?

EVTYCHVS.

Spes, Salus, Victoria.

CHARINVS.

Quid me voltis?

EVTYCHVS.

Ire tecum.

CHARINVS.

Alium comitem quaerite!
Non amittunt hi me comites, qui tenent.

EVTYCHVS.

Qui sunt ei?

CHARINVS.

Cura, Miseria, Aegritudo, Lacrumae, Lamentatio.

EVTYCHVS.

Repudia istos comites atque huc respice et revortere!

CHARINVS.

Si quidem mecum fabulari vis: subsequere.

EVTYCHVS.

Sta eloco!

CHARINVS.

Male facis, properantem qui me conmorare: sol abit.

EVTYCHVS.

Si huc item properes, ut istuc properas: facias rectius:
Huc secundus ventus nunc est. Cape modo vorsoriam!
Hic favonius serenust; istic auster imbricus.
Hic facit tranquillitatem; iste omnis fluctus conciet.
Recipe te ad terram, Charine! Non ex advorso vides,
Nimbus ut ater imberque instat? Adspicias nunc ad sinistram t. t.
Atque videbis, ex avorso coelum ut est splendore plenum!

CHARINVS.

Religionem obiecit illic: recipiam me illuc.

EVTYCHVS.

Sapis. t. t. c.
O Charine, contra pariter fer gradum et confer pedem!
Porrige brachium! prehende! Iam tenes?

CHARINVS.

Teneo.

EVTYCHVS.

Tene.

Quo nunc ibas?

CHARINVS.

Exulatum.

EVTYCHVS.

Quid ibi facere is?

CHARINVS.

Quod miser.

EVTYCHVS.

Ne pave: restituam iam ego te, in gaudia antiqua ut sies!
Maxume quod vis audire, id audies, quod gaudeas.

CHARINVS.

Studeo.

EVTYCHVS.

Sta eloco: amicus amico advenio multum benevolens.
Tuam amicam . . . .

CHARINVS.

Quid eam?

EVTYCHVS.

Vbi sit, ego scio . . . .

CHARINVS.

Tun', obsecro?

EVTYCHVS.

Sanam et salvam.

CHARINVS.

Vbi eam salvam?

EVTYCHVS.

Quo ego scio.

CHARINVS.

Ego me mavelim!

EVTYCHVS.

Potin', ut animo sis tranquillo?

CHARINVS.

Quid, si autem animus fluctuat?

EVTYCHVS.

Ego istum in tranquillo et tuto sistam: ne time. i. s.

CHARINVS.

Obsecro te, loquere, ubi sit, ubi eam videris!
Quid taces? Dic! Enicas me miserum tua reticentia! t. t. c.

EVTYCHVS.

Non longe hinc abest a nobis.

CHARINVS.

Quin conmonstras, si vides?

EVTYCHVS.

Non video hercle nunc; sed vidi modo.

CHARINVS.

Quin, ego videam, facis?

EVTYCHVS.

Faciam.

CHARINVS.

Longinquom istuc amanti est.

EVTYCHVS.

Etiam metuis?

CHARINVS.

Omnia.

EVTYCHVS.

Conmonstrabo. Amicior mihi nullus vivit atque is est,

Qui illam habet, neque quoi mage velle melius med aequom siet.

CHARINVS.

Non curo istuc: illam quaero.

EVTYCHVS.

De illa ergo ego dico tibi.

CHARINVS.

Dic igitur, ubi illa est?

EVTYCHVS.

In nostris aedibust.

CHARINVS.

Aedis probas.
Si tu vera dicis: pulcred aedificatas arbitro.
Sed qui istuc credam? vidistin', an de audito nuntias? i. t.

EVTYCHVS.

Egomet vidi.

CHARINVS.

Quis eam adduxit ad vos?

EVTYCHVS.

Enim inique rogas. t. t. c.
Quid amorem refert, quicum istaec venerit?

CHARINVS.

Dum istuc siet.

EVTYCHVS.

Est profecto.

CHARINVS.

Opta ergo ob istunc nuntium quidvis tibi!

EVTYCHVS.

Quid, si optabo?

CHARINVS.

Deos orabo, ut eius faciant copiam.

EVTYCHVS.

Derides?

CHARINVS.

Servata res est demum, si illam videro.
Sed quin ornatum hunc reiicio? Heus, aliquis actutum huc foras
Exite! illinc pallium mi ecferte!

EVTYCHVS.

Hem, nunc tu mi ut places!

CHARINVS.

Optume adveniens! cape, puere, chlamydem atque istinc sta eloco:
Vt, si haec non sint vera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.
Vera dicis?

EVTYCHVS.

Nil, Charine, te quidem quidquam pudet.
Non mihi credis?

CHARINVS.

Omnia equidem credo, quae dicis mihi.
Sed quin introducis me ad eam, ut videam?

EVTYCHVS.

Paulisper mane.

CHARINVS.

Quid manebo?

EVTYCHVS.

Tempus intro eundi non est.

CHARINVS.

Enicas.

EVTYCHVS.

Non opus est, inquam, nunc intro te ire.

CHARINVS.

Responde mihi,

Qua causa?

EVTYCHVS.

Operae non est.

CHARINVS.

Cur?

EVTYCHVS.

Quia non est illi commodum.

CHARINVS.

Itane? commodum illi non est, quae me amat, quam ego contra amo?
Omnibus me ludificatur hic modis. Ego stultior,
Qui isti credam. Conmoratur. Chlamydem sumam denuo.

EVTYCHVS.

Mane parumper atque hoc audi.

CHARINVS.

Cape sis, puer, hoc pallium!

EVTYCHVS.

Sane hoc non in mentem venit dudum uti tibi dicerem.
Mater irata est vehementer patri, quia scortum sibi
Ob oculos advexerit intus aedis, dum ruri ipsa abest.
Suspicatur, illam amicam esse illi.

CHARINVS.

Zonam sustuli . . . .

EVTYCHVS.

Eam rem nunc exquaerit intus.

CHARINVS.

Iam machaera est in manu . . . .

EVTYCHVS.

Nam si eo ted introducam . . . .

CHARINVS.

Tollo ampullam atque hinc eo.

EVTYCHVS.

Mane, mane, Charine!

CHARINVS.

Erras: me decipere haud potes. i. s.

EVTYCHVS.

Neque edepol volo.

CHARINVS.

Quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis? t. t. c.

EVTYCHVS.

Non sino.

CHARINVS.

Egomet me moror. Tu, puere, abi hinc intro ocius!
Iam indu currum escendi; iam lora in manus cepi meas!

EVTYCHVS.

Sanus non es.

CHARINVS.

Quin vos in curriculum conicitis, pedes,
In Cyprum recta: quandoquidem mihi pater exilium parat?

EVTYCHVS.

Stultus es. Noli istuc, quaeso, dicere.

CHARINVS.

Certum est exsequi,

Operam ut sumam ad pervestigandum, ubi sit illaeo . . . .

EVTYCHVS.

Quin domi est.

CHARINVS.

Nam hic quod dixit, id mentitust.

EVTYCHVS.

Vera dixi equidem tibi.

CHARINVS.

Iam Cyprum veni.

EVTYCHVS.

Quin sequere: ut illam videas, quam expetis.

CHARINVS.

Percontatus non inveni.

EVTYCHVS.

Matris iam iram neglego.

CHARINVS.

Porro proficiscor quaesitum. Nunc perveni Chalcidem;
Video ibi hospitem Zacyntho; dico, quid eo advenerim;
Rogito, quis eam vexerit, quis habeat, si indaudiverit.

EVTYCHVS.

Quin tu istas omittis nugas ac mecum huc intro ambulas?

CHARINVS.

Hospes respondit, Zacyntho ficos fieri non malas. . .

EVTYCHVS.

Nil mentitust.

CHARINVS.

Sed de amica inaudivisse se autumat,
Hic Athenis esse.

EVTYCHVS.

Calchas iste quidem Zacynthiust.

CHARINVS.

Navem couscendo, proficiscor eloco, iam sum domi,
Iam redivi exilio. Salve, mi sodalis Eutyche!
Vt valuisti? Quid parentes? — Mecum ad matrem cedito. —
Bene vocas; benigne dicis. Cras apud te; nunc domi.
Sic decet; sic fieri oportet.

EVTYCHVS.

Eloquere, an tu somnias?
Hic homo insanust.

CHARINVS.

Amicus quin properas medicarier?

EVTYCHVS.

Sequere, sis.

CHARINVS.

Sequor.

EVTYCHVS.

Clementer, quaeso; calcis deteris.
Audin' tu?

CHARINVS.

Iamdudum audivi.

EVTYCHVS.

Pacem conponi volo
Meo patri cum matre: nam nunc eii irata est....

CHARINVS.

I modo!

EV-

EVTYCHVS.

Propter istanc.

CHARINVS.

I modo!

EVTYCHVS.

Ergo cura.

CHARINVS.

Quin tu ergo i modo:
Tam propitiam reddam, quam, quom propitia est Iuno Iovi.

DEMIPHO. LYSIMACHVS.

Huic scenae

praescripserant vett. edd. versus XI sequentes:

LYSIMACHVS.

Demipho, sapientum illud dictum te audisse reor saepius,
Voluptas est malorum esca: quod ea non minus homines
Quam hamo capiantur pisces. Hanc est quom fugiunt senes;
Tu tamen senectuti gratiam non habeas: quoniam haec tibi
Non abstulit modo, sed in amorem coniecit fortius,
Quo te consiliumque tuum atque mentem perdit funditus
Atque oculorum tibi praestringit aciem. Me quoque
In magnum coniecisti malum, nec, quid faciam, scio.

DEMIPHO.

Lysimache, deum hoc arbitrium est, non hominum. Tute hoc tecum

Si cogites, non aequom te facere arbitrabere,
Quom amico homini tuique conscio ita suscenseas misere,
Quasi tu nunquam quidquam adsimile huius facti feceris. t. t. c. V, 3.

LYSIMACHVS.

Edepol nunquam. Cavi, ne quid facerem. Vix vivos miser:
Nam mea uxor propter illam tota in fermento iacet.

DEMIPHO.

Ast ego expurgationem habebo: ut ne suscenseat.

LYSIMACHVS.

Sequere me. Sed exeuntem filium video meum.

EVTYCHVS. LYSIMACHVS. DEMIPHO.

EVTYCHVS.

Ad patrem ibo: ut matris iram sibi esse sedatam sciat. t. t. c. V, 4.
Iam redeo.

LYSIMACHVS.

Placet principium. Quid agis? quid fit, Eutyche?

EVTYCHVS.

Optuma opportunitate ambo advenistis.

LYSIMACHVS.

Quid rei est?

EVTYCHVS.

Vxor tibi placata et placida est. Cette dextras nunc ïam.

LYSIMACHVS.

Di me servant!

EVTYCHVS.

Tibi amicam nullam esse nuntio.

DEMIPHO.

Di te perdant! Quid negoti est nam, quaeso, istuc?

EVTYCHVS.

Eloquar.

Animum advortite igitur ambo.

LYSIMACHVS.

Quin tibi ambo operam damus.

EVTYCHVS.

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo,
Suopte culpam generi capiunt, genus ingeniod inprobant.

DEMIPHO.

Verum dicit hic.

LYSIMACHVS.

Tibi ergo dicit: eo id verum est magis:
Nam abs te istac aetate haud aequom filio fuerat tuo,
Adulescenti amanti, amicam emtam argento eripier suo.

DEMIPHO.

Quid tu ais? Charini amica est illa?

EVTYCHVS.

Vt dissimulat malus!

DEMIPHO.

Ille quidem illanc sese ancillam matri emisse dixerat.

EVTYCHVS.

Propterea igitur tu mercatus, novos amator, vetus puer?

LYSIMACHVS.

Optume hercle! Perge, perge! Ego adsistam hinc altrinsecus.
Quibus est dictis dignus, usque oneremus ambo ....

DEMIPHO.

Nullus sum!

LYSIMACHVS.

Filio suo qui innocenti fecit tantam iniuriam!

EVTYCHVS.

Quem quidem hercle ego, indu exilium quom iret, reduxi domum:
Nam ibat exulatum.

DEMIPHO.

An abiit?

LYSIMACHVS.

Etiam loquere, larüa?
Temperare istac aetate istis decebat artibus.

DEMIPHO.

Fateor: deliqui profectod.

EVTYCHVS.

Etiam loquere, larüa?
Vacuom esse istac ted aetated iis decebat noxiis.
Itidem ut tempus anni, aetatem aliam aliud factum convenit:
Nam si istuc ius est, senecta aetate scortari senes,
Vbi loci res summa nostra est publica?

DEMIPHO.

Hei, perii miser!

EVTYCHVS.

Adulescentes rei agundae isti mage solent operam dare.

DEMIPHO.

Iam, obsecro, hercle habete vobis cum sportis, cum fiscina!

EVTYCHVS.

Redde filio! sibi habeat iam, ut volt!

DEMIPHO.

Per me habeat licet.

EVTYCHVS.

Temperi edepol: quoniam, ut aliter facias, non est copia.

DEMIPHO.

Supplici sibi sumat, quod volt, ipse ob hanc iniuriam.
Modo pacem faciatis, oro, ut ne mihi iratus siet.
Si hercle scivissem sive adeo ioculo dixisset mihi,
Se illam amare: nunquam facerem, ut illam amanti abducerem.
Eutyche, ted oro (sodalis eius es), serva et subveni!
Hunc senem para clientem! Memorem dices benefici.

LYSIMACHVS.

Ora, ut ignoscat deliciis eius atque adulescentiae.

DEMIPHO.

Pergin' tu autem in hunc superbe invehere? Spero ego mihi quoque
Tempus tale eventurum, ut tibi gratiam referam parem.

LYSIMACHVS.
Missas iam istas artis feci ego.
DEMIPHO.
Et quidem ego dehinc iam.
LYSIMACHVS.
Nisi
Consuetudine animus rursus te huc inducet.
DEMIPHO.
Obsecro,
Satis iam ut habeatis! Quin loris caedite etiam, si lubet!
LYSIMACHVS.
Recte dicis. Sed istuc uxor faciet, quom hoc resciverit.
DEMIPHO.
Nihil opust resciscat.
LYSIMACHVS.
Qui istuc?
EVTYCHVS.
Non resciscet: ne time.
Eamus intro: non utibilis hic locus, factis tuis,
Dum memoramus, arbitri ut sint, qui praetereant per vias.
DEMIPHO.
Hercle quin tu recte dicis: eadem brevior fabula
Erit. Eamus.
EVTYCHVS.
Hic est intus filius apud nos tuos.
DEMIPHO.
Optume est. Illac per hortum nos domum transibimus.

LYSIMACHVS.

Eutyche, hanc volo prius agi rem, quam meum intro refero pedem.

EVTYCHVS.

Quid istuc est?

LYSIMACHVS.

Suam quisque homo rem meminit. Responde mihi:
Certon' scis, non suscensere mihi tuam matrem?

EVTYCHVS.

Scio.

LYSIMACHVS.

Vide!

EVTYCHVS.

Me vide! Satisne habes?

LYSIMACHVS.

Habeo. At, quaeso hercle, etiam vide!

EVTYCHVS.

Non mihi credis?

LYSIMACHVS.

Imo credo; sed tamen metuo miser.

DEMIPHO.

Eamus intro.

EVTYCHVS.

Imo dicamus senibus legem censeo,
Priusquam abeamus, qua se lege teneant contentique sint.
Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,
Seu maritum sive hercle adeo coelibem, scortarier:
Cum eo nos hac lege agemus: inscitum arbitrabimur,

Et per nos quidem hercle egebit, qui suom prodegerit.
Neve quisquam posthac prohibeto adulescentem filium,
Quin amet, quin scortum ducat; quod bono fiat modo.
Si prohibuerit, clam plus perdet, quam si praebuerit palam.
Haec adeo ex hac nocte primum lex uti teneat senes.
Bene valete atque, adulescentes, haec si vobis lex placet,
Ob senum hercle industriam vos aequom est clare plaudere.

MILES GLORIOSVS.

ARGVMENTVM.

Meretricem ingenuam deperibat mutuo
Atheniensis iuvenis. Naupactum is domo
Legatus abiit; miles in eandem incidit,
Deportat Ephesum invitam. Servus Attici,
Vt nuntiaret domino factum, navigat;
Capitur, donatur illi captus militi;
Ad herum, vti veniat Ephesum, scribit. Advolat
Adolescens atque in proxumo divortitur
Apud hospitem paternum. Medium parietem
Perfodit servus, commeatus clanculum
Qua foret amantum; geminam fingit mulieris
Sororem adesse. Mox ei dominus aedium
Suam clientam sollicitandum ad militem
Subornat. Capitur ille: sperat nuptias,
Dimittit concubinam et moechus vapulat.

ALIVD ARGVMENTVM.

Meretricem Athenis Ephesum miles avehit.
Id hero dum amanti servus nuntiare vult,
Legato peregre: captus ipsust in mari
Et illi eidem militi dono datust.
Servus suum arcessit herum Athenis et forat
Geminis communem clam parietem aedibus:
Licere ut quiret convenire amantibus.
Obhaerens custos hos videt de tegulis;
Ridiculus autem, quasi sit alia, luditur.
Itemque impellit militem Palaestrio,
Omissam faciat concubinam: quando ei
Senis vicini cupiat uxor nubere.
Vltro, abeat, orat; donat multa; ipse, in domo
Senis prehensus, poenas pro moecho luit.

DRAMATIS PERSONAE.

PYRGOPOLINICES.
ARTOTROGVS.
PALAESTRIO.
PERIPLECTOMENES.
SCELEDRVS.
PRILOCOMASIVM.
PLEVSIDES.
LVCRIO.
ACROTELEVTIVM.
MILPHIDIPPA.
PVER.
CARIO.

PYRGOPOLINICES. ARTOTROGVS.

PYRGOPOLINICES.

Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior, I. s. I.
Quam solis radii esse olim, quom sudum est, solent:
Vt, ubi usus veniat, contra conserta manu
Praestringat oculorum aciem in acie hostibus.
Nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,
Ne lamentetur neve animum despondeat,
Quia se iampridem feriatam gestitem,
Quae misere gestit fartum facere ex hostibus.
Sed ubi Artotrogus?

ARTOTROGVS.

Hic est, stat propter virum
Fortem atque fortunatum et forma regia.
Tam bellatorem Mars se haud ausit dicere,
Neque aequiparare suas virtutes ad tuas.

PYRGOPOLINICES.

Quemne ego servavi in campis Gurgustidoniis,
Vbi Bombomachides Cluninstaridysarchides
Erat imperator summus, Neptuni nepos?

ARTOTROGVS.

Memini: nempe illum dicis cum armis aureis,
Quoius tu legiones difflavisti spiritu,
Quasi ventus folia aut paniculam tectoriam.

PYRGOPOLINICES.

Istuc quidem edepol nihil est.

ARTOTROGVS.

Nihil hercle hoc quidem
Praeut alia dicam, — tu quae nunquam feceris.
Periuriorem hoc hominem si quis viderit
Aut gloriam pleniorem, quam illic est:
Me sibi habeto, et ego mancupio dabo me, nisi
Vnum, epityrum, apud illum esurio insane bene.

PYRGOPOLINICES.

Vbi tu es?

ARTOTROGVS.

Eccum edepol. Vel elephanto in India
Quo pacto pugno praefregisti brachium.

PYRGOPOLINICES.

Quid? brachium?

ARTOTROGVS.

Illud dicere volui, femur.

PYRGOPOLINICES.

At indiligenter hic eram.

ARTOTROGVS.

Pol si quidem
Connisus esses: per corium, per viscera,
Perque os elephanti brachium tramitteres.

PYRGOPOLINICES.

Nolo istaec hic nunc.

ARTOTROGVS.

Nae hercle operae pretium quidem,
Mihi te narrare: tuas qui virtutes sciam.
— Venter creat omnis has aerumnas: auribus
Peraudienda sunt, ne dentes dentiant,
Et adsentandum est, quidquid hic mentibitur.

PYRGOPOLINICES.

Quid illud, quod dico?

ARTOTROGVS.

Hem, scio iam, quid vis dicere.
Factum hercle est; memini fieri.

PYRGOPOLINICES.

Quid id est?

ARTOTROGVS.

Quidquid est.

PYRGOPOLINICES.

Habes tabellas?

ARTOTROGVS.

Vis rogare? Habeo, et stilum.

PYRGOPOLINICES.

Facete advortis animum tuom ad animum meum.

ARTOTROGVS.

Novisse mores me tuos meditate decet
Curamque adhibere, ut praedolat mihi, quod velis.

PYRGOPOLINICES.

Ecquid meministi?

ARTOTROGVS.

Memini. Centum in Cilicia
Et quinquaginta, centum Sycolatronidae,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidisti uno die.

PYRGOPOLINICES.

Quanta istaec hominum summa est?

ARTOTROGVS.

Septem millia.

PYRGOPOLINICES.

Tantum esse oportet; recte rationem tenes.

ARTOTROGVS.

At nullos habeo scriptos; sic memini tamen.

PYRGOPOLINICES.

Edepol memoria est optuma.

ARTOTROGVS.

Offa me monet.

PYRGOPOLINICES.

Dum talem facies, qualem adhuc: adsiduo edes:
Conmunicabo semper te mensa mea.

ARTOTROGVS.

Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machaera foret, uno ictu occideres?

PYRGOPOLINICES.

At peditis delicia erant: sivi viverent.

ARTOTROGVS.

Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales sciunt,
Pyrgopolinicem te unum in terra vivere
Virtute et forma et factis invictissumis?
Amant ted omnes mulieres ne iniuria,
Qui sis tam pulcer; vel illae, quae here pallio
Me reprehenderunt.

PYRGOPOLINICES.

Quid here dixerunt tibi?

ARTOTROGVS.

Rogitabant: Hiccine Achilles, inquito, est tibi? —
Imo eius frater, inquam. — Innuit altera:
Ergo mecastor pulcer est, inquit mihi,
Et liberalis. Vide, caesaries quam decet!
Nae illaec sunt fortunatae, quae cum isto cubant!

PYRGOPOLINICES.

Itane aibat tandem?

ARTOTROGVS.

Quaene ambae obsecraverint,
Vt te hodie quasi pompam illa praeterducerem?

PYR-

PYRGOPOLINICES.

Nimia est miseria, pulcrum esse hominem nimis.

ARTOTROGVS.

Molestae sunt mihi: orant, ambiunt, obsecrant,
Videre ut liceat; ad sese arcessi iubent:
Vt tuo non liceat operam dare negotio.

PYRGOPOLINICES.

Videtur tempus esse, ut eamus ad forum:
Vt in tabellis quos consignavi hic heri
Latrones, ibus denumerem stipendium.
Nam Rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Vt sibi latrones cogerem et conscriberem:
Regi hunc diem mihi operam decretum est dare.

ARTOTROGVS.

Age, eamus ergo.

PYRGOPOLINICES.

Sequimini, satellites.

PALAESTRIO.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas,
i. s. II, 1.
Si ad auscultandum vostra erit benignitas.
Qui autem auscultare nolit, exsurgat foras:
Vt sit, ubi sedeat ille, qui auscultare volt.
Nunc, qua adsedistis causa in festivo loco,
Comoediai, quam modo acturi sumus,
Et argumentum et nomen vobis eloquar.
Alazon graece huic nomen est comoediae;
Id nos latine Gloriosum dicimus.
Hoc oppidum Ephesust; inde miles, meus herus,

Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, inpudens,
Stercoreus, plenus periuri atque adulteri,
Ait sese ultro omnis mulieres sectarier:
Is deridiculo est, quaqua incedit, omnibus;
Itaque hic meretrices, labiis dum ductant eum,
Maiorem partem videas valgis saviis.
Nam ego haud diu apud hunc servitutem servio.
Id volo vos scire, quomodo ad hunc devenerim
In servitutem ab eo, quoi servivi prius.
Date operam: nam nunc argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adulescens optumus;
Meretricem is amabat matre Athenis Atticis,
Et illa illum contra: qui est amor cultu optumus.
Is publice legatus Naupactum hinc fuit
Magnaï reii publicaï gratia.
Interibi ut istic forte miles advenit
Athenas: insinuat se ad illam amicam heri,
Occepit eius matri suppalparier
Vino, ornamentis opiparisque obsoniis;
Itaque intimum ibi se miles apud lenam facit.
Vbi primum evenit militi huic occasio:
Sublinit os illi lenae, matri mulieris,
Quam meus amabat herus: nam is illius filiam
Conpegit in navem miles clam matrem suam,
Eamque invitam huc mulierem in Ephesum advehit.
Vt amicam herilem Athenis avectam scio:
Ego, quantum vivos possum, mihi navem paro,
Inscendo: ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.
Vbi sumus provecti in altum: sicut voluerunt,
Capiunt praedones navem illam, ubi vectus fui.
Prius perii, quam ad herum veni, quo ire occeperam.

Ille, qui me cepit, dat me huic dono militi.
Hic postquam in aedis ad se me duxit domum:
Video illam amicam herilem, Athenis quae fuit.
Vbi contra adspexit me: oculis mihi signum dedit,
Ne se adpellarem; deinde, postquam occasio est,
Conqueritur mecum mulier fortunas suas;
Ait, fugere sese Athenas cupere ex hac domu;
Sese illum amare, meum herum, Athenis qui fuit,
Neque peius quemquam odisse, quam istunc militem.
Ego quoniam inspexi mulieris sententiam:
Cepi tabellas, consignavi clanculum,
Do mercatori quoidam, qui ad eum deferat,
Meum herum, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat:
Vt is huc veniret. Is non sprevit nuntium:
Nam et venit et hic in proxumo devortitur
Apud paternum suom hospitem, lepidum senem.
Itaque ille amanti suo hospiti morem gerit,
Nosque opera consilioque adhortatur, iuvat;
Itaque ego paravi hic intus magnas machinas,
Qui amantis una inter se facerem convenas:
Nam unum conclave, concubinae quod dedit
Miles, quo nemo nisi eapse inferret pedem,
In eo conclavi ego perfodi parietem,
Qua conmeatus esset hinc huc mulieri.
Et sene sciente hoc feci: is consilium dedit.
Nam meus conservos est homo haud magni preti,
Quem concubinae miles custodem addidit;
Ei nos facetis fabricis et doctis dolis
Glaucomam ob oculos obiiciemus eumque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit;

Et mox, ne erretis, haec duarum hodie in vicem
Et hic et illic mulier feret imaginem
Atque eadem erit, verum alia esse adsimulabitur.
Ita sublinetur os custodi mulieris.
Sed foris concrepuit hinc a vicino sene:
Ipse exit. Hic ille est lepidus, quem dixi, senex.

PERIPLECTOMENES. PALAESTRIO.

PERIPLECTOMENES.

Ni hercle defregeritis talos posthac, quemque in tegulis t. t. c. II, 2.
Videritis alienum: ego vostra faciam latera lorea!
Mihi quidem iam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi:
Ita per inpluvium introspectant. Nunc adeo edico omnibus:
Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis
Extra unum Palaestrionem, huc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat: disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis!
Atque adeo, ut ne legi fraudem fecerint talariae,
Adcuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

PALAESTRIO.

Nescio quid malefactum a nostra huic familia est, quantum audio:

Ita senex talos elidi iussit conservis meis.
Sed me excepit; nihili facio, quid illis faciat ceteris.
Adgrediar hominem; et nunc advorsum me est quasi. i. s.
Quid agis, Periplectomene?

PERIPLECTOMENES.

Haud multos homines, si optandum foret, t. t. c.
Nunc videre et convenire, quam te, mavellem.

PALAESTRIO.

Quid est?
Quid negoti est?

PERIPLECTOMENES.

Res palam est.

PALAESTRIO.

Quae res palam est?

PERIPLECTOMENES.

De tegulis
Modo nescio quis inspectavit vostrum familiarium
Per nostrum inpluvium intus apud nos Philocomasium atque hospitem
Osculantis.

PALAESTRIO.

Quis homo vidit?

PERIPLECTOMENES.

Tuos conservos.

PALAESTRIO.

Qui is homo est?

PERIPLECTOMENES.

Nescio: ita abripuit repente sese subito.

PALAESTRIO.

Suspicor,
Me periisse.

PERIPLECTOMENES.

Vbi abiit: conclamo: Heus, quid agis tu? inquam. Mihi
Ille, abiens, ita respondit, se sectari simiam.

PALAESTRIO.

Vae mihi misero, quoi pereundum est propter nihili bestiam!
Sed Philocomasium hiccine etiam nunc est?

PERIPLECTOMENES.

Quom exibam, hic erat.

PALAESTRIO.

Sis, iube transire huc, quantum possit: se ut videant domi
Familiares, nisi quidem illa nos volt, qui servi sumus,
Propter amorem suom omnis crucibus contubernalis dari.

PERIPLECTOMENES.

Dixi ego istuc, nisi quid aliud vis.

PALAESTRIO.

Volo. Huiic dicito, utrumque, t. t.
Artem et disciplinam, obtineat et colorem.

PERIPLECTOMENES.

Quemadmodum? t. t. c.

PALAESTRIO.

Vt eum, qui se vidit vero, vincat, ne se viderit;
Siquidem centiens hic visa sit: tamen inficias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,

Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam:
Qui arguat se, eum contra vincat iureiurando suo.
Domi habet animum falsiloquom, falsificum, falsiiurium;
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala:
Domi habet hortum et condimenta ad omnis mores maleficas.

PERIPLECTOMENES.

Ego istaec, si erit hic, nuntiabo. Sed quid est, Palaestrio, i. t.
Quod volutas tute tecum in corde?

PALAESTRIO.

Paulisper tace, t. t. c.
Dum ego mihi consilia in animum convoco et dum consulo,
Quid agam, quem dolum doloso contra conservo parem,
Qui illam hic vidit osculantem: id visum ut ne visum siet.

PERIPLECTOMENES.

Quaere; ego hinc abscessero abs te huc interim. —
Illuc, sis, vide,
Quemadmodum adstitit, severa fronte curas cogitans!
Pectus digitis pultat: cor, credo, evocaturust foras.
Ecce avortit visus; laevo in femine habet laevam manum;
Dextera digitis rationem conputat, feriens femur

Dexterum: ita, vehementer quod facto opus est, aegre suppetit.
Concrepuit digitis: laborat. Crebro conmutat status.
Eccere autem capite nutat! Non placet, quod reperit.
Quidquid est, incoctum non expromet; bene coctum dabit.
Ecce autem aedificat: columnam mento subfulsit suo.
Apage! non placet profecto mi illa inaedificatio:
Nam os columnatum poëtae esse indaudivi barbaro,
Quoi bini custodes semper totis horis adcubant.
Euge, euge, euscheme adstitit hercle, dulice et comoedice!
Nunquam hodie quiescet, priusquam id, quod petit, perfecerit.
Habet, opinor. Age, si quid agis! vigila! ne somno stude,
Nisi quidem hic agitari mavis varius! vigila! tibi ego dico! Au, t. t.
Feriatus ne sis! Heus, ted adloquor, Palaestrio! t. t. c.
Vigila, inquam! expergiscere, inquam! lucet hoc, inquam!

PALAESTRIO.

Audio.

PERIPLECTOMENES.

Viden' hostis tibi adesse tuoque tergo obsidium? Consule!
Arripe opem auxiliumque ad hanc rem! Propere hoc, non placide, decet.
Antemoeni aliqua! aliquo tu autem circumduce exercitum!

Cura obsidium perduellis; nostris praesidium para!
Interclude inimicis conmeatum; tibi muni viam,
Qua cibatus conmeatusque ad te et legiones tuas
Tuto possit pervenire! Hanc rem age: res subitaria est.
Reperi! conminiscere! cedo calidum consilium cito:
Quae hic sunt visa, ut visa ne sint; facta infacta uti sient.
Magnam illic, mi homo, rem incipissis; magna moenis moenia!
Tute unus si recipere hoc ad te dicis: confidentia est,
Nos inimicos profligare posse.

PALAESTRIO.

Dico et recipio ad me! t. t.

PERIPLECTOMENES.

Et ego te inpetrare dico id, quod petis.

PALAESTRIO.

At te Iupiter t. t. c.
Bene amet!

PERIPLECTOMENES.

At tu inparti, amice, me, quod conmentus.

PALAESTRIO.

Tace,
Dum in regionem astutiarum mearum te induco: ut scias
Iuxta mecum mea consilia.

PERIPLECTOMENES.

Salva sumes indidem.

PALAESTRIO.

Herus meus elephanti corio circumtentust, non suo,
Neque habet plus sapientiai, quam lapis.

PERIPLECTOMENES.

Ego istuc scio.

PALAESTRIO.

Nunc sic rationem incipissam, sic instituam astutiam:
Vt Philocomasio hanc sororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo
Tam similem, quam lacte lacti est; apud te eos hic devortier
Dicam hospitio . . . .

PERIPLECTOMENES.

Euge, euge, lepide! laudo conmentum tuom!

PALAESTRIO.

Vt, si illanc concriminatus siet advorsum militem
Meus conservos, eam vidisse cum alieno oscularier,
Arguam hanc vidisse apud te contra conservom meum
Cum suo amatore amplexantem atque osculantem.

PERIPLECTOMENES.

Imo optume!
Idem ego dicam, si me exquaeret miles.

PALAESTRIO.

Sed simillumas
Dicito esse; et Philocomasio id praecipiendum est, ut sciat:
Ne titubet, si quaeret ex ea miles.

PERIPLECTOMENES.

Nimis doctum dolum!
Sed si ambas videre in uno miles concilio volet,
Quid agimus?

PALAESTRIO.

Facile est: trecentae possunt causae conligi:
„Non domi est; abiit ambulatum; dormit; ornatur; lavat,
„Prandet; potat; occupata est; operae non est; non potest;“
Quantum vis prolationum, dum modo nunc prima via
Inducamus, vera ut esse credat, quae mentibitur.

PERIPLECTOMENES.

Perplacet, uti dices.

PALAESTRIO.

Intro abi ergo et, si isti est, mulierem
Iube cito domum transire atque haec ei monstra, praecipe,
Vt teneat consilia nostra, quemadmodum exorsi sumus,
De gemina sorore.

PERIPLECTOMENES.

Docte tibi illanc perdoctam dabo.
Numquid aliud?

PALAESTRIO.

Intro ut abeas.

PERIPLECTOMENES.

Abeo quidem.

PALAESTRIO.

Ego ibo domum
Atque hemonem investigando sumam operam, hanc dissimulando, t. t.
Qui fuerit conservos, qui hodie sit sectatus simiam.
t. t. c.

Nam ille non potuit, quin sermone aliquem familiarium
Participaverit de amica heri, vidisse sese eam
Hic in proxumo osculantem cum alieno adulescentulo.
Novi morem ego: „Tacere nequeo, quae solus scio."
Si invenio, qui vidit, ad eum vineas pluteosque agam.
Res parata est: vi pugnandoque hominem capere certa res.!
Si ita non reperio, ibo odorans, quasi canis venaticus,
Vsque donec persecutus volpem ero vestigiis.
Sed fores concrepuerunt nostrae: ego voci moderabo meae:
Nam illic Philocomasio custos, meus conservos; it foras.

SCELEDRVS. PALAESTRIO.

SCELEDRVS.

Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis: t. t. c. II, 3.
Certo edepol scio, me vidisse hic proxumae viciniae
Philocomasium herilem amicam sibi alienum quaerere.

PALAESTRIO.

Hic illanc vidit osculantem, quantum hunc audivi loqui.

SCELEDRVS.

Quis hic est?

PALAESTRIO.

Tuos conservos. Quid agis, Sceledre?

SCELEDRVS.

Te, Palaestrio,

Volupe est convenisse.

PALAESTRIO.

Quid iam aut quid negoti? fac sciam.

SCELEDRVS.

Metuo.

PALAESTRIO.

Quid metuis?

SCELEDRVS.

Ne hercle hodie, quantum hic familiarium est,
Maxumum in malum cruciatumque insaliamus.

PALAESTRIO.

Tu sali

Solus: nam ego istam insulturam et desulturam nil moror.

SCELEDRVS.

Nescis tu fortasse, apud nos facinus quod natum est novom.

PALAESTRIO.

Quod id est facinus?

SCELEDRVS.

Inpudicum.

PALAESTRIO.

Tute sci solite tibi;

Mihi ne dixis: scire nolo.

SCELEDRVS.

Non enim faciam, quin scias.

Simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.

PALAESTRIO.

Edepol, Sceledre, homo sectatus nihili nequam bestiam.

SCELEDRVS.

Di te perdant!

PALAESTRIO.

Te istuc aequom: quoniam occepisti eloqui.

SCELEDRVS.

Forte fortuna per inpluvium huc despexi in proxumum:
Atque ego illi adspicio osculantem Philocomasium cum altero
Nescio quo adulescente.

PALAESTRIO.

Quod ego, Sceledre, scelus ex te audio?

SCELEDRVS.

Profecto vidi.

PALAESTRIO.

Tuten'?

SCELEDRVS.

Egomet duobus his oculis meis. i. t.

PALAESTRIO.

Abi! non verisimile dicis neque vidisti.

SCELEDRVS.

Num tibi t. t. e.
Lippus videor?

PALAESTRIO.

Medicum istuc tibi melius percontarier.
Verum enim tu istanc, si te di ament, temere haud tollas fabulam:

Tuis nunc cruribus capitique fraudem hinc capitalem creas:
Nam tibi iam, ut pereas, paratum est dupliciter, nisi supprimis
Tuom stultiloquium.

SCELEDRVS.

Qui vero dupliciter?

PALAESTRIO.

Dicam tibi.
Primumdum, si falso insimulas Philocomasium: hoc perieris;
Iterum, si id verum est: tu eii custos additus perieris.

SCELEDRVS.

Quid fuat me, nescio; haec me vidisse, ego certo scio.

PALAESTRIO.

Pergin', infelix?

SCELEDRVS.

Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?
Quin etiam nunc intus hic in proxumo est.

PALAESTRIO.

Eho, non domi est?

SCELEDRVS.

Vise, abi intro tute: nam ego mihi nil credi postulo.

PALAESTRIO.

Certum facere est.

SCELEDRVS.

Hic te opperiar; eadem illi insidias dabo,
Quam mox horsum ad stabulum iunix recipiat se a pabulo.

Quid ego nunc faciam? Custodem me illi miles tradidit.
Nunc si indicium facio: interii; si taceo: interii tamen,
Si hoc palam fuerit. Quid peius muliere aut audacius?
Dum ego in tegulis sum: illac haec hospitio se edit foras.
Edepol facinus fecit audax! Hoccine, si miles sciat —
Credo hercle, has sustollat aedis totas atque hunc in crucem.
Hercle quidquid est, mussabo potius, quam interеam male.
Non ego possum, quae ipsa sese venditat, tutarier.

PALAESTRIO.

Sceledre, Sceledre!

SCELEDRVS.

Quis homo interimit?

PALAESTRIO.

Alter est audacior?
Quis mage dis inimicis natus, quam tu, atque iratis?

SCELEDRVS.

Quid est?

PALAESTRIO.

Iuben' tibi oculos ecfodiri, quibus id, quod nusquam est, vides? i. t.

SCELEDRVS.

Quid? nusquam?

PA-

PALAESTRIO.

Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.

SCELEDRVS.

Quid negoti est?

PALAESTRIO.

Quid negoti sit, rogas?

SCELEDRVS.

Cur non rogem? t. t. c.

PALAESTRIO.

Nonne tibi istanc praetruncari linguam largiloquam iubes?

SCELEDRVS.

Quamobrem iubeam?

PALAESTRIO.

Philocomasium eccam domi, quam in proxumo
Vidisse aibas te osculantem atque amplexantem cum altero.

SCELEDRVS.

Mirum est, lolio victitare te tam vili tritico.

PALAESTRIO.

Quid iam?

SCELEDRVS.

Quia luscitiosus.

PALAESTRIO.

Verbero, edepol tu quidem
Coecus, non luscitiosus: nam eam quidem eccillam domi.

SCELEDRVS.

Quid? domi?

PALAESTRIO.

Domi hercle vero.

SCELEDRVS.

Abi! ludis me, Palaestrio.

PALAESTRIO.

Tum inquinatae mihi manus sunt.

SCELEDRVS.

Quidum?

PALAESTRIO.

Quia ludo luto.

SCELEDRVS.

Vae capiti tuo!

PALAESTRIO.

Tuo istuc, Sceledre, promitto fore,
Nisi oculos orationemque alia conmutas tibi.
Sed fores concrepuerunt nostrae.

SCELEDRVS.

At ego illas observo foris:
Nam nihil est, qua hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio.

PALAESTRIO.

Quin domi eccam: nescio, quae te, Sceledre, scelera suscitant.

SCELEDRVS.

Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum:
Me homo nemo deterrebit, quin ea sit in his aedibus.
Hic obsistam: ne inprudenti huc ea se subrepsit mihi.

PALAESTRIO.

Meus illic homo est: deturbabo iam ego illunc de pugnaculis.
Vin' iam faciam, uti stultividum te fatearis . . . .

SCELEDRVS.

Age, face.

PALAESTRIO.

Neque te quidquam sapere corde, neque oculis uti?

SCELEDRVS.

Volo.

PALAESTRIO.

Nempe tu istic ais esse herilem concubinam?

SCELEDRVS.

Atque arguo
Eam me vidisse osculantem hic intus cum alieno viro.

PALAESTRIO.

Scin' tu, nullum conmeatum hinc esse et a nobis . . . .

SCELEDRVS.

Scio.

PALAESTRIO.

Neque solarium neque hortum, nisi per inpluvium?

SCELEDRVS.

Scio.

PALAESTRIO.

Quid nunc, si ea domi est, si faciam, vt exire hinc videas domo:
Dignus es verberibus multis?

SCELEDRVS.

Dignus.

PALAESTRIO.

Serva istas foris:

Ne tibi clam se subterducat istinc atque huc transeat.

SCELEDRVS.

Consilium est ita facere.

PALAESTRIO.

Pede ego iam illam huc tibi sistam in viam.

SCELEDRVS.

Agedum ergo face! — Volo scire, utrum ego id, quod vidi, viderim,
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea sit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo nec rogo utendos foris;
Sed hic illi supparasitatur semper; hic ei proxumust;
Primus ad cibum vocatur; primo pulmentum datur.
Nam illic noster est fortasse circiter triennium,
Neque quoiquam, quam illi, est in nostra melius famulo familia.
Sed ego, quod ago, id me agere oportet: hoc observare ostium.
Hic obsistam: hac quidem pol certo verba mihi nunquam dabunt.

PALAESTRIO. PHILOCOMASIVM. SCELEDRVS.

PALAESTRIO.

Praecepta facito ut memineris.

PHILOCOMASIVM.

Toties monere mirum est. i. t. c. II, 4.

PALAESTRIO.

At metuo, ut satis sis subdola.

PHILOCOMASIVM.

Cedo vel doctum: edocebo.
Memini malas, ut sint malae: mihi solae e quo superfit.

PALAESTRIO.

Age, iam nunc insiste in dolos! abs te ego procul recedam. —
Quid adstas, Sceledre?

SCELEDRVS.

Hanc rem gerod. Habeo auris: loquere, quid vis.

PALAESTRIO.

Credo, istoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis manibus patibulum quom habebis.

SCELEDRVS.

Quamnam ob rem?

PALAESTRIO.

Respicedum ad laevam! qui illaec est mulier?

SCELEDRVS.

Proh di inmortales,
Heri concubina est haec quidem.

PALAESTRIO.

Mihi quoque pol ita videtur.
Age, nunc ïam, quando lubet . . . .

SCELEDRVS.

Quid agam?

PALAESTRIO.

Peri perpropere!

PHILOCOMASIVM.

Vbi istic bonus servos, propudi me qui maxume innocentem
Falso insimulavit?

PALAESTRIO.

Hem tibi! hic mihi dixit.

SCELEDRVS.

Tibi.

PHILOCOMASIVM.

Quem dixti
Tu te vidisse in proxumo hic, sceleste, me osculantem?

PALAESTRIO.

Ac cum alieno adulescentulo dixit.

SCELEDRVS.

Dixi hercle vero.

PHILOCOMASIVM.

Tun' me vidisti?

SCELEDRVS.

Atque his quidem oculis.

PHILOCOMASIVM.

Carebis, credo,
Qui plus vident, quam quod vident.

SCELEDRVS.

Nunquam hercle deterrebor,
Quin viderim id, quod viderim.

PHILOCOMASIVM.

Ego stulta moror multum,
Quae cum hoc insano fabulem, quem pol ego capitis perdam.

SCELEDRVS.

Noli minitari: scio crucem futuram mihi sepulcrum:

Ibi mei maióres sunt siti, pater, avos, proavos, abavos.
Non possunt mihi minaciis tuis hice oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palaestrio. — Obsecro, unde haec
Huc exit?

PALAESTRIO.

Vnde, nisi domo?

SCELEDRVS.

Domo?

PALAESTRIO.

Me videto!

SCELEDRVS.

Video;
Nisi mirum est facinus, quomodo haec hinc potuerit transire:
Nam certo neque solarium est apud nos neque hortus ullus,
Nec fenestra, nisi clatrata. — Nam certo ego te hic intus vidi.

PALAESTRIO.

Pergin', sceleste, intendere hanc arguere?

PHILOCOMASIVM.

Ecastor ergo
Mi haud falsum evenit somnium, quod noctu hac somniavi.

PALAESTRIO.

Quid somniasti?

PHILOCOMASIVM.

Ego eloquar. Sed, amabo, advortito animum.
Hac nocte in somnis mea soror gemina germana visa

Venisse Athenis in Ephesum cum suo amatore quodam;
Hi ambo hospitio huc in proxumum devorti mihi sunt visi.

PALAESTRIO.

Palaestrionis somnium narratur. — Perge porro.

PHILOCOMASIVM.

Ego laeta visa, quia soror venisset, propter eandem
Suspicionem maxumam sum visa sustinere:
Nam arguere in somnis me meus mihi visust familiaris,
Me cum alieno adulescentulo, quasi nunc est, osculatam,
Quom illa osculata mea soror gemina esset suompte amicum.
Ita me insimulatam perperam falsum esse somniavi.

PALAESTRIO.

Satin' in vigilantis expetunt, quae in somnis visa memoras?
Praesentia hercule omnia! Heus, iam abi intro et conprecare.
Narrandum ego istuc militi censebo.

PHILOCOMASIVM.

Facere certum,
Neque me quidem patiar probri falso inpune insimulatam.

SCELEDRVS.

Timeo, quid rerum gesserim: ita dorsus totus prurit.

PALAESTRIO.

Scin', te periisse? Nunc quidem est domi certo.

SCELEDRVS.

Certa res est,
Nunc nostrum observare ostium, ubiubi est.

PALAESTRIO.

At, Sceledre, quaeso,
Vt ad id exemplum somnium quam simile somniavit
Atque, ut tu suspicatus es eam vidisse osculantem!

SCELEDRVS.

Non arbitraris?

PALAESTRIO.

Nae hercle opinor. — Obsecro, resipisce!
Ad herum si haec res pervenerit, peristi ob oculos pulcre!

SCELEDRVS.

Nunc demum experior, prius mihi caliginem obstitisse.

PALAESTRIO.

Dudum edepol hoc planum quidem: quae hic usque fuerit intus.

SCELEDRVS.

Nihil habeo certi, quod loquar. Non vidi eam, etsi vidi.

PALAESTRIO.

Nae te edepol stultitia tua nos pene perdidisse!
Dum te fidelem facere hero voluisti, absumtus pene!
Sed fores vicini proxumi crepuerunt: conticiscam.

PHILOCOMASIVM. PALAESTRIO. SCELEDRVS.

PHILOCOMASIVM.

Inde ignem in aram: ut Ephesiae Dianae lautas laudes i. t. c. II, 5.
Gratisque agam eique ut Arabico fumificem odore amoene,
Quae me in locis Neptuniis templisque turbulentis
Servavit, saevis fluctibus ubi sum adflictata multum.

SCELEDRVS.

Palaestrio! eho, Palaestrio!

PALAESTRIO.

Eho, Sceledre, Sceledre, quid vis?

SCELEDRVS.

Haec mulier, quae hinc exit modo, estne herilis concubina
Philocomasium, an non est ea?

PALAESTRIO.

Hercle opinor; ea videtur.
Sed facinus mirum est, quomodo hinc huc potuerit transire,
Si quidem ea est.

SCELEDRVS.

An dubium id tibi est, eam esse hanc?

PALAESTRIO.

Ea videtur.
Adeamus, adpellemus.

SCELEDRVS.

Heus, quid istuc est, Philocomasium?

Quid tibi istic hisce in aedibus debetur? quid negoti est?
Quid nunc taces? Tecum loquor.

PALAESTRIO.

Imo edepol tute tecum:
Nam haec nil respondet.

SCELEDRVS.

Te adloquor, viti probrique plena,
Quae circum vicinos vages.

PHILOCOMASIVM.

Quicum tu fabulare?

SCELEDRVS.

Quicum, nisi tecum?

PHILOCOMASIVM.

Quis tu homo es, aut mecum quid negoti est?

SCELEDRVS.

Men' rogas, hem, qui sim?

PHILOCOMASIVM.

Quin ego hoc rogem, quod nesciam? t. t. c.

PALAESTRIO.

Quis ego sum igitur, si hunc ignoras?

PHILOCOMASIVM.

Mihi odiosus, quisquis es,
Et tu et hic.

SCELEDRVS.

Nos non novisti?

PHILOCOMASIVM.

Neutrum.

SCELEDRVS.

Metuo maxume . . . . .

PALAESTRIO.

Quid metuis?

SCELEDRVS.

Enim ne nos nosmet perdiderimus uspiam:
Nam neque te neque me novisse ait haec.

PALAESTRIO.

Perscrutari hoc volo,
Sceledre, nos nostri an alieni simus: ne clam quispiam
Nos vicinorum inprudentis aliquid inmutaverit.

SCELEDRVS.

Certe equidem noster sum.

PALAESTRIO.

Et pol ego. Quaeris tu mulier, malum.
Tibi ego dico: heus, Philocomasium!

PHILOCOMASIVM.

Quae te intemperiae tenent,
Qui me perperam perplexo nomine adpelles?

PALAESTRIO.

Eho,
Quis igitur vocare?

PHILOCOMASIVM.

Glycere nomen est.

PALAESTRIO.

Iniuria es:
Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas.

SCELEDRVS.

Adige! testo.

PALAESTRIO.

Num decet id? meo hero num facis iniuriam?

PHILOCOMASIVM.

Egone . . . .

PALAESTRIO.

Tute.

PHILOCOMASIVM.

Quae heri Athenis Ephesum adveni vesperi
Cum meo amatore, adulescente Atheniensi?

PALAESTRIO.

Dic mihi,
Quid hic tibi in Epheso est negoti?

PHILOCOMASIVM.

Geminam germanam meam
Hic sororem esse indaudivi: eam veni quaesitum.

SCELEDRVS.

Mala es.

PHILOCOMASIVM.

Imo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabuler.
Abeo.

SCELEDRVS.

Abire non sinam te.

PHILOCOMASIVM.

Mitte!

SCELEDRVS.

Manufestaria
Rest: non mitto.

PHILOCOMASIVM.

At iam crepabunt mihi manus, malae tibi,
Nisi me omittis!

SCELEDRVS.

Quid, malum, adstas? quin retines altrinsecus?

PALAESTRIO.

Nil moror, negotiosum mi esse tergum. Qui scio, an
Ista non sit Philocomasium atque alia eius similis siet?

PHILOCOMASIVM.

Mittis me, an non mittis?

SCELEDRVS.

Imo vi atque invitam, ingratiis,
Nisi voluntate ibis, rapiam te domum.

PHILOCOMASIVM.

Hosticum hoc mihi
Domicilium est, Athenis domus.

SCELEDRVS.

Et hic herus!

PHILOCOMASIVM.

Ego istanc domum
Neque moror neque vos, qui sitis homines, novi neque scio.

SCELEDRVS.

Lege agito: te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,
Te huc, si amisero, intro ituram.

PHILOCOMASIVM.

Vi me cogis, quisquis es.
Do fidem, si amittis, istuc me intro ituram, quo iubes.

SCELEDRVS.

Ecce mitto.

PHILOCOMASIVM.

At ego abeo missa.

SCELEDRVS.

Muliebri fide fecisti! t. t.

PALAESTRIO.

Sceledre, manibus amisisti praedam: tam ea est, quam potis, t. t. c.
Nostra herilis concubina. Vin' tu facere hoc strenue?

SCELEDRVS.

Quid faciam?

PALAESTRIO.

Adfer mihi machaeram huc intus.

SCELEDRVS.

Quid facies ea?

PALAESTRIO.

Introrumpam recta in aedis: quemque hic intus videro
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo extempulo!

SCELEDRVS.

Visane est ea esse?

PALAESTRIO.

Imo edepol plane ea est; sed quomodo
Dissimulabat! Abi, machaeram huc ecfer!

SCELEDRVS.

Iam faxo hic erit.

PALAESTRIO.

Neque eques neque pedes profecto quisquam tanta audacia,
Qui aeque faciat confidenter quidquam, quam, quae mulieres
Faciunt! Vt utrobique docte orationem edidit!
Vt sublinitur os custodi cauto, conservo meo!
Nimis beat, quod conmeatus transtinet trans parietem!

SCELEDRVS.

Heus, Palaestrio, machaera nihil opus.

PALAESTRIO.

Quid iam? aut quid opus est? t. t.

SCELEDRVS.

Domi eccam herilem concubinam.

PALAESTRIO.

Quid? domi?

SCELEDRVS.

In lecto cubat. t. t. c.

PALAESTRIO.

Edepol nae tu tibi malam rem reperisti, ut praedicas ....

SCELEDRVS.

Quid iam?

PALAESTRIO.

Qui hanc attingere ausus mulierem hinc e proxumo.

SCELEDRVS.

Magis hercle metuo. Sed nunquam quisquam faciet, quin soror
Ista sit germana huius.

PALAESTRIO.

Eam pol tu osculantem hic videras.
Et quidem palam est, eam esse, ut dicit.

SCELEDRVS.

Quid propius fuit,
Quam ut perirem, si locutus fuissem hero!

PALAESTRIO.

Ergo, si sapis,
Mussitabis. Plus oportet scire servom, quam loqui.
Ego abeo a te, ne quid tecum consili conmisceam;
Atque ad hunc ibo vicinum: tuae mihi turbae non placent.
Herus si veniet, si me quaeret: hic ero: hinc me arcessito.

SCELEDRVS. PERIPLECTOMENES.

SCELEDRVS.

Satin' abiit neque herile plus negotium II, 6.
Curat, quam si non servitutem serviat?
Certo quidem illaec intust nostra in aedibus:
Nam egomet cubantem eam modo obfendi domi.
Certum est nunc observationi operam dare.

PERIPLECTOMENES.

Non hercle hice homines me marem, sed feminam,
Vicini rentur esse servi militis:
Ita me ludificant. Meamne hic in via hospitam,
Quae heri huc Athenis cum hospite advenit meo,
Tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam?

SCELEDRVS.

Perii hercle: hic ad me recta habet rectam viam.
Metuo, illaec mihi res ne malo magno fuat:
Quantum hunc audivi facere verborum senem.

PERIPLECTOMENES.

Accedam ad hominem. Tun', Sceledre, hic, scelerum caput,
Meam ludificasti hospitam ante aedis modo?

SCELEDRVS.

Vicine, ausculta, quaeso.

PERIPLECTOMENES.

Ego auscultem tibi?

SCELEDRVS.

Volo expurgare me.

PERIPLECTOMENES.

Tun' te expurges mihi,

Qui facinus tantum tamque indignum feceris?
An, quia latrocinamini, arbitramini,
Quidvis licere facere vobis, verbero?

SCELEDRVS.

Licetne . . . ?

PERIPLECTOMENES.

At ita me di deaeque omnes ament,
Nisi mihi supplicium virgeum de te datur
Longum diutinumque a mane ad vesperum:
Quod meas confregisti imbrices et tegulas,
Ibi dum condignam te sectatus simiam;
Quodque inde inspectavisti meum apud me hospitem,
Amplexam amicam quom osculabatur suam;
Quodque concubinam herilem insimulare ausus es
Probri pudicam meque summi flagiti;
Tum, quod tractavisti hospitam ante aedis meas;
Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur:
Dedecoris pleniorem herum faciam tuom,
Quam magno vento plenum est undarum mare!

SCELEDRVS.

Ita sum coactus, Periplectomene, ut nesciam
Vtrum postulare me prius tecum aequom siet;
Nisi, si istaec non est haec neque haec est militis,
A me expurgari haec tibi videatur aequius;
Sicut etiam nunc nescio, quid viderim:
Ita istaec huius similis est nostrae tua,
Siquidem non eadem est.

PERIPLECTOMENES.

Vise ad me intro: iam scies.

SCELEDRVS.

Licetne?

PERIPLECTOMENES.

Quin te iubeo. At placide noscita.

SCELEDRVS.

Ita facere certum est.

PERIPLECTOMENES.

Heus, Philocomasium, cito
Transcurre curriculo ad nos: ita negotium est.
Post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito
Transcurrito ad vos rursum curriculo domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infuscaverit;
Si hic non videbit mulierem: aperitur dolus.

SCELEDRVS.

Proh di inmortales, similiorem mulierem
Magisque eandem, utpote quae non sit eadem, non reor
Deos facere posse.

PERIPLECTOMENES.

Quid nunc?

SCELEDRVS.

Conmerui malum.

PERIPLECTOMENES.

Quid igitur? ean' est?

SCELEDRVS.

Etsi ea est: non est ea.

PERIPLECTOMENES.

Vidistin' istam?

SCELEDRVS.

Vidi et illam et hospitem,
Complexum atque osculantem.

PERIPLECTOMENES.

Ean' est?

SCELEDRVS.

Nescio.

PERIPLECTOMENES.

Vin' scire plane?

SCELEDRVS.

Cupio.

PERIPLECTOMENES.

Abi intro ad vos domum
Continuo: vide, sitne istaec vostra intus domum.

SCELEDRVS.

Licet; pulcre admonuisti. Ego iam ad te exibo foras.

PERIPLECTOMENES.

Nunquam edepol hominem quemquam ludificarier
Magis facete vidi et magis miris modis.
Sed eccum egreditur.

SCELEDRVS.

Periplectomene, te obsecro
Per deos atque homines perque stultitiam meam
Perque tua genua . . . .

PERIPLECTOMENES.

Quid obsecras me?

SCELEDRVS.

Inscitiae
Meae et stultitiae ignoscas. Nunc demum scio,
Me fuisse excordem, coecum, incogitabilem:
Nam Philocomasium eccam intus.

PERIPLECTOMENES.

Quid nunc, furcifer?
Vidistin' ambas?

SCELEDRVS.

Vidi.

PERIPLECTOMENES.

Herum exhibeas volo.

SCELEDRVS.

Meruisse equidem me maxumum fateor malum,
Et tuae fecisse me hospitae aio iniuriam;
Sed meam esse herilem concubinam censui,
Quoi me custodem herus addidit miles meus:
Nam ex uno puteo similior nunquam potis
Est aqua aquae sumi, quam haec est atque ista hospita.
Et me despexe ad te per inpluvium tuom
Fateor . . . .

PERIPLECTOMENES.

Quidni fateare, ego quod viderim?

SCELEDRVS.

Sed Philocomasium me vidisse censui.

PERIPLECTOMENES.

Ratusne istic me esses omnium minumi preti,
Si ego me sciente paterer, vicino meo
Eam fieri apud me tam insignite iniuriam?

SCELEDRVS.

Nunc demum a me insipienter factum esse arbitror,
Quom rem cognosco; at non malitiose tamen
Feci.

PERIPLECTOMENES.

Imo indigne: namque hominem servom suos
Domitos habere oportet oculos et manus
Orationemque.

SCELEDRVS.

Ego nunc si post hunc diem
Muttivero, etiam quod egomet certo sciam:
Dato excruciatum me! egomet me dedam tibi!
Nunc hoc mi ignoscas, quaeso.

PERIPLECTOMENES.

Vincam animum meum,
Ne malitiose factum id'esse abs te arbitrer.
Ignoscam tibi istuc.

SCELEDRVS.

At di tibi faciant bene!

PEREPLECTOMENES.

Nae tu hercle, si te di amant, linguam conprimes
Posthac; etiam illud, quod scies, nesciveris;
Ne videris, quod videris!

SCELEDRVS.

Bene me mones.
Ita facere certum est. Sed satine oratus's? —
Abit. —
Numquid nunc aliud me vis?

PERIPLECTOMENES.

Ne me noveris. —

SCELEDRVS.

Dedit hic mihi verba! Quam benigne gratiam
Fecit, ne iratus esset! Scio, quam rem gerat:
Vt miles, quom extemplo a foro adveniat domum,
Domi conprehendat. Vna hic et Palaestrio
Me habent venalem; sensi et iamdudum scio.
Nunquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam:

Nam iam aliquo aufugiam et me occultabo aliquot dies,
Dum haec consilescunt turbae atque irae leniunt.
Iam nunc satis pipulo inpio merui mali. —
Verum tamen, de me quidquid est, ibo hinc domum. —

PERIPLECTOMENES.

Ille hinc abscessit. Sat edepol certo scio,
Occisam saepe sapere plus multo suem.
Quine inducatur, ne id, quod vidit, viderit?
Nam illius oculi atque aures atque opinio
Transfugere ad nos. Vsque adhuc actum est probe:
Nimium festivam mulier operam praebuit.
Redeo in senatum rursus: nam Palaestrio
Domi nunc apud me, Sceledrus nunc autem foras:
Frequens senatus poterit nunc haberier.
Ibo intro: ne, dum absum, illis sortito fuam.

PALAESTRIO. PLEVSIDES. PERIPLECTOMENES.

PALAESTRIO.

Cohibete intra limen etiam vos parumper, Pleusides. t. t. c. III, 1.
Sinite me prius perspectare, ne uspiam insidiae sient,
Concilium quod habere volumus: nam opus est nunc tuto loco,

Vnde, inimicus ne quis nostras spolia capiat auribus:
Nam bene consultum consilium surpitur saepissume,
Si minus cum cura aut κατὰ λόγον locus loquendi lectus est:
Nam bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui,
Neque potest, quin, si inimicis usui est, obsit mihi:
Quippe si resciverint inimici consilium tuom,
Tuopte tibi consilio occludunt linguam at constringunt manus,
Atque eadem, quae illis voluisti tu facere, faciunt tibi.
Sed speculabor: ne quis aut hinc a laeva aut a dextera
Nostro consilio venator adsit cum auritis plagis.
Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe:
Evocabo. Heus, Periplectomene et Pleuside, progredimini!

PERIPLECTOMENES.

Ecce nos tibi obedientis.

PALAESTRIO.

Facile est imperium in bonis.
Sed volo scire, eodem consilio, quod intus meditati sumus,
Si gerimus rem.

PERIPLECTOMENES.

Magis ad rem esse non potest utibilius.

PALAESTRIO.

Imo quid tibi?

PLEVSIDES.

Quodne vobis placeat, displiceat mihi?
Quis homo sit magis mens?

PERIPLECTOMENES.

Quamvis loquere lepide et commode.

PALAESTRIO.

Pol ita decet hunc facere.

PLEVSIDES.

At hoc me facinus misere macerat
Meumque cor corpusque cruciat.

PERIPLECTOMENES.

Quid id est, quod cruciat? cedo.

PLEVSIDES.

Me tibi istuc aetatis homini facinora puerilia
Obicere, neque te decora neque tuis virtutibus;
Ea te expetere: ex opibus summis mei te honoris gratia
Mihique amanti ire opitulatum atque ea te facere facinora,
Quae istaec aetas fugere facta mage quam sectari solet.
Eam pudet tibi me in senecta obicere solicitudinem.

PERIPLECTOMENES.

Novo modo tu, homo, amas, si quidem te quidquam, quod faxis, pudet. i. t.
Nihil amas; umbra es amantum mage, quam amator, Pleusides. t. t. c.

PLEVSIDES.

Hanccine aetatem exercere med amoris gratia!

PERIPLECTOMENES.

Quid ais tu? itan' tibi ego videor oppido Acheruntieus?
Tam capularis tamve tibi diu videor vitam vivere?
Nam equidem haud sum annos natus praeter quinquaginta et quatuor,
Clare oculis video, sum pernix manibus, sum pede mobilis.

PALAESTRIO.

Si albus capillus hic videtur: ne utiquam ibi ingenium senex; i. t.
Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.

PLEVSIDES.

Pol id quidem experior ita esse, ut praedicas, Palaestrio:
Nam benignitas quidem huius oppido adulescentuli est. t. t. c.

PERIPLECTOMENES.

Imo, hospes, mage quom periclum facies, mage nosces meam
Comitatem erga te amantem.

PLEVSIDES.

Quid opus nota noscere?

PERIPLECTOMENES.

Vt apud ted exemplum experiundi habeas, ne vages foris.
Nam nisi qui ipse amavit, aegre amantis ingenium inspicit;
Sed ego amoris aliquantum habeo humorisque etiam in corpore,
Neque dum exarui ex amoenis rebus et voluptariis.

Vel cavillator facetus vel conviva commodus
Item ero, neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio:
Incommoditate abstinere me apud convivas commode
Conmemini, et meae orationis iustam partem persequi,
Et meam partem itidem tacere, quom aliena est oratio.
Minume sputator, screator, sum, itidem minume muccidus:
Post Ephesum sum natus; non enim in Apulis, non Animulae.

PLEVSIDES.

O lepidum semisenem, si, quas memorat, virtutes habet,
Atque quidem plane educatum in nutricatu Venerio!

PERIPLECTOMENES.

Plus dabo, quam praedicabo, ex me venustatis tibi.
Neque ego ad mensam publicas res clamo neque leges crepo,
Neque alienum ego unquam scortum subagito in convivio;
Neque praeripio pulpamentum neque praevorto poculum,
Neque per vinum unquam ex me exoritur dissidium in convivio;
Si quis ibi est odiosus: abeo domum, sermonem segrego;
Venerem amorem amoenitatemque adcubans exerceo.

PLEVSIDES.

Tui quidem edepol omnes mores ad venustatem valent.
Cedo tris mi homines aurichalco contra cum istis moribus!

PALAESTRIO.

At quidem, illuc aetatis qui sit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec, qui amicus amico sit magis.

PERIPLECTOMENES.

Tute me ut fateare faciam esse adulescentem moribus:
Ita apud omnes conparebo tibi res benefactis frequens.
Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? Ecce me.
Opusne leni? Leniorem dices, quam mutum est mare;
Liquidiusculusque ero, quam ventus est favonius.
Vel hilarissumum convivam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium parasitum atque obsonatorem optumum;
Tum ad saltandum non cinaedus malacus aeque est atque ego.

PALAESTRIO.

Quid ad illas artis optassis, si optio eveniat tibi?

PLEVSIDES.

Huic pro meritis ut referri pariter possit gratia
Tibique, quibus nunc me esse experior summae solicitudini.
At tibi tanto sumtui esse, mihi molestum est.

PERIPLECTOMENES.

Morus es:
Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumtus est;
In bono hospite atque amico quaestus est, quod sumitur,
Et quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est.
Deum virtute, ut transeuntem accipiam, apud me copia est.
Es, bibe, animo obsequere mecum atque onera te hilaritudine!
Liberae aedes, liber sum autem ego: me volo uti libere.
Nam mihi deum virtute, dicam, propter divitias datas
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere;
Sed mihi nolo oblatratricem in aedis intromittere.

PLEVSIDES.

Cur nevis? nam procreare liberos lepidum est opus.

PERIPLECTOMENES.

Hercle vero liberum med esse, id multo est lepidius.

PALAESTRIO.

Tu homo et alteri sapienter potis es consulere et tibi.

PERIPLECTOMENES.

Nam bona uxor, si ea quidem deductu est usquam gentium:
Vbi eam possiem invenire? Verum egon' eam ducam domum,

Quae mihi nunquam hoc dicat: „Eme, mi vir, lanam, unde pallium
„Malacum et calidum conficiatur tunicaeque hibernae bonae:
Ne algeas hac hieme“ (hoc nunquam verbum ex uxore audias);
Verum, priusquam galli cantent, quae me somno suscitet,
Dicat: „Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem iuverit;
Da, qui farcit; da, qui condit; da, quod dem Quinquatribus
Praecantatrici, coniectrici, hariolae atque haruspicae.
Tum piatricem clementer non potest quin munerem.
Iampridem, quia nil abstulerit, suscenset ceraria.
Tum obstetrix expostulavit mecum, sibi missum parum.
Quid? nutrici non missurus quidquam, quae vernas alit?
Flagitium est, si nil mittatur, quo supercilio spicit.
Haec atque huius similia alia damna multa mulierum
Med uxore prohibent, quae huius similis sermones serat.

PALAESTRIO.

Di tibi propitii sunt hercle: nam si semel amiseris
Libertatem, haud facile te in eundem rursum restitues locum.

PLEVSIDES.

At illaec laus est, magno in genere et in divitiis maxumis
Liberos hominem educare, generi monumentum et sibi.

PERIPLECTOMENES.

Quando habeo cognatos multos, quid opus sit mihi liberis?
Eos pro liberis habebo, qui mihi mittunt munera.
Nunc bene vivo et fortunate atque, vt volo, atque, animo ut lubet;
Bona mea in morti cognatis dicam, inter eos partiam.
Illi apud me edunt; me curant; visunt, quid agam, ecquid velim.
Priusquam lucet: adsunt; rogitant, noctu ut somnum ceperim.
Sacruficant? dant inde partem mihi maiorem, quam sibi;
Abducunt ad exta me; ad se ad prandium, ad coenam, vocant.
Ille miserrumum se retur, minumum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis; egomet mecum mussito:
Bona mea inhient, dum certatim nutricent et munerent.

PALAESTRIO.

Nimis bona ratione nimiumque ad te et tua multum vides,
Et tibi sunt gemini et trigemini, si te bene habes, filii.

PERIPLECTOMENES.

Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum. In liberis
Censerem ecmori: cecidissetne ebrius aut de equo uspiam.
Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.

PALAESTRIO.

Huic homini dignum est divitias esse et diu vitam dari,
Qui et rem servat et qui bene habet, suisque amicis est volup.

PLEVSIDES.

O lepidum caput! Ita me di deaeque ament, aequom fuit,
Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent,
Sicut merci pretium statui, pro virtute ut veneat,
Quae inproba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperet:
Itidem divos dispartisse vitam humanam aequom fuit;
Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent;
Qui inprobi essent et scelesti, iis adimerent animam cito.
Si hoc paravissent, et homines essent minus multi mali,
Et minus audacter scelesta facerent facta; et postea,
Qui probi homines essent, esset his annona vilior.

PERIPLECTOMENES.

Qui deum consilia culpet, stultus inscitusque sit,

Qui-

Quique eos vituperet. Nunc iam istis rebus desisti decet:
Nam volo obsonare: ut, hospes, tua te ex virtute et mea
Meae domi accipiam benigne lepide et lepidis victibus.

PLEVSIDES.

Nil me poenitet, iam quanto sumtui fuerim tibi.
Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest,
Quin, ubi triduom continuom fuerit, iam odiosus siet;
Verum ubi dies decem continuos illius iterasti domum:
Tametsi dominus non invitus patitur, servi mnrmurant.

PERIPLECTOMENES.

Servientis servitutem servos mi introduxi ego,
Hospes, non qui mi imperarent, quibus ego essem obnoxius.
Si illis aegre est, mihi quod volupe est: meo remigio rem gero;
Tamen id, quod odio est, faciundum est cum malo atque ingratiis.
Nunc, quod occepi, obsonatum pergam.

PLEVSIDES.

Si certum est tibi:
Commodulum obsona, ne magno sumtu: mihi quidvis sat est.

PERIPLECTOMENES.

Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves?

Nam proletario sermone nunc quidem, hospes, utere:
Nam hi solent, quando adcubuere, ubi coena adposita est, dicere:
„Quid opus fuvit istoc sumtu tanto nostra gratia?
„Insanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem."
Sed iidem homines nunquam dicunt, quamquam adpositum est ampliter:
„Iube illuc demi! tolle hanc patinam! remove pernam: nil moror.
„Aufer illam offam penitam! probus hic conger frigidus:
„Remove! abi, aufer!" Neminem eorum haec adseverare audias;
Sed procellunt se et procumbunt dimidiati, dum adpetunt;
Quod eorum causa obsonatum est, culpant et comedunt tamen.

PLEVSIDES.

Fit pol illuc ad illuc exemplum.

PALAESTRIO.

Vt docte et perspecte sapit!
Bonus bene ut malos descripsit mores!

PERIPLECTOMENES.

Haud centesimam
Partem dixi atque, otium re si sit, possim expromere.

PALAESTRIO.

Igitur id, quod agitur, eii hic primum praevorti decet.

Nunc huc animum advortite ambo. Mihi opus est opera tua,
Periplectomene: nam ego inveni lepidam sycophantiam,
Qui admutiletur miles usque caesariatus, atque uti
Huic amanti ab Philocomasio hanc ecficiamus copiam, ut
Hinc eam abducat habeatque.

PERIPLECTOMENES.

Dari istanc rationem volo.

PALAESTRIO.

At ego mi anulum dari istum tuom volo.

PERIPLECTOMENES.

Quam ad rem usui est?

PALAESTRIO.

Quando habebo: igitur rationem mearum fabricarum dabo.

PERIPLECTOMENES.

Vtere; accipe.

PALAESTRIO.

Accipe a me rursum rationem doli,
Quam institui.

PERIPLECTOMENES.

Purgatis ambo tibi operam damus auribus.

PALAESTRIO.

Herus meus ita magnus moechus mulierum est, ut neminem
Fuisse adaeque neque futurum credam.

PERIPLECTOMENES.

Credo ego istuc item.

PALAESTRIO.

Itaque Alexandri praestare praedicat formae suam;

Itaque omnis se ultro sectari in Epheso memorat mulieres . . . .

PERIPLECTOMENES.

Edepol quin te de isto multi cupiant — non mentirier;
Sed ego, ita esse, ut dicis, teneo pulcre: proin, Palaestrio,
Quam potis, tam verba confer maxume ad conpendium.

PALAESTRIO.

Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem,
Quoi facetiarum cor corpusque sit plenum et doli?

PERIPLECTOMENES.

Ingenuamne, an libertinam?

PALAESTRIO.

Aequi istuc facio, dummodo
Eam des, quae sit quaestuosa, quae alat corpus corpore,
Quoique sapiat pectus: nam cor non potest, quod nulla habet.

PERIPLECTOMENES.

Lautam vis, an, quae sit nondum lauta?

PALAESTRIO.

Siccam, succidam,
Quam lepidissumam potes quamque adulescentem maxume.

PERIPLECTOMENES.

Habeo eccillam meam clientam, meretricem adulescentulam.
Sed quid ea usus est?

PALAESTRIO.

Vt ad ted eam iàm deducas domum,
Itaque eam huc ornatam adducas in matronarum modum:
Capite comto; crinis vittasque habeat adsimuletque, se
Tuam esse uxorem. Ita praecipiendum est.

PERIPLECTOMENES.

Erro, quam insistas viam.

PALAESTRIO.

At scies. Sed ecqua ancilla est illi?

PERIPLECTOMENES.

Est prime cata.

PALAESTRIO.

Ea quoque opus est: ita praecipito mulieri atque ancillulae,
Vt simulet, se tuam esse uxorem et deperire hunc militem;
Quasique hunc anulum faveae suae dederit, ea porro mihi:
Militi ut darem; quasique ego re sim interpres.

PERIPLECTOMENES.

Audio. —
Nae me surdum verberabit.

PALAESTRIO.

Tute si audis: recta ego
Meis dabo; a tua mi uxore dicam delatum et datum:
Vt sese ad eum conciliarem. Ille eiusmodi est: cupiet miser,
Qui, nisi adulterio, studiosus re nullae aliae est, inprobus.

PERIPLECTOMENES.

Non potuit reperire, si ipsi Soli quaerundas dares,
Lepidiores duas ad hanc rem, quamde ego. Habe animum bonum.

PALAESTRIO.

Ergo adcures et properes opus. — Nunc tu ausculta, Pleusides.

PLEVSIDES.

Tibi sum obediens.

PALAESTRIO.

Hoc facito. Miles domum ubi advenerit:
Memineris, ne Philocomasium nomines.

PLEVSIDES.

Quam nominem?

PALAESTRIO.

Glyceram.

PLEVSIDES.

Nempe eandem, quae dudum constituta est.

PALAESTRIO.

Pax, abi!

PLEVSIDES.

Meminero. Sed quid meminisse id referat, ego ted amem . . . .

PALAESTRIO.

Ego enim dicam tum, quando usus poscet: interea tace.
Vt nunc, etiam hic agit; actutum partis defendas tuas.

PLEVSIDES.

Ego eo intro igitur.

PALAESTRIO.

I et praecepta sobrie ut cures face.

PALAESTRIO. LVCRIO.

PALAESTRIO.

Quantas res turbo! quantas moveo machinas! i. s.
III, 2.
Eripiam ego hodie concubinam militi,
Si centuriati bene sunt maniplares mei.
Sed illunc vocabo. Heus, Sceledre, nisi negotium,
Progredere ante aedis: te voco, Palaestrio.

LVCRIO.

Non operae est Sceledro.

PALAESTRIO.

Quid iam?

LVCRIO.

Sorbet dormiens.

PALAESTRIO.

Quid? sorbet?

LVCRIO.

Illud, stertit, volui dicere;
Sed quia, quom stertas, consimile est, quasi sorbeas.

PALAESTRIO.

Eho, an dormit Sceledrus intus?

LVCRIO.

Non naso quidem:
Nam eo magnum clamat. Tetigit calicem clanculum.

PALAESTRIO.

Dormit?

LVCRIO.

Ita: nardini amphoram, cellarius.

PALAESTRIO.

Eho, tu sceleste, qui illi suppromus's, eho!

LVCRIO.

Quid vis?

PALAESTRIO.

Qui lubitum est illi condormiscere?

LVCRIO.

Oculis, opinor.

PALAESTRIO.

Non te istuc rogito, scelus.
Procede huc! Periisti iam, nisi verum scio!
Promsisti tu illi vinum?

LVCRIO.

Non promsi.

PALAESTRIO.

Negas?

LVCRIO.

Nego hercle vero: nam ille vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo expromsi in urceum,
Neque illic calidum exbibit in prandium.

PALAESTRIO.

Neque tu bibisti?

LVCRIO.

Di me perdant, si bibi,
Si bibere potui.

PALAESTRIO.

Quid iam?

LVCRIO.

Quia enim obsorbui:
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

PALAESTRIO.

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant!
Bono suppromo et promo cellam creditam!

LVCRIO.

Tu idem hercle faceres, si tibi esset credita.
Quoniam aemulari non licet: nunc invides.

PALAESTRIO.

Eho, an nunquam promsit antehac? responde, scelus!
Atque, ut tu scire possis, edico tibi:
Si falsa dixis: nae otio excruciabere!

LVCRIO.

Ita vero? Vt tu ipse me dixisse delices,
Postea sagina ego eiciar cellaria;
Vt tibi, si promtes, alium suppromum pares.

PALAESTRIO.

Non edepol faciam: age, eloquere audacter mihi.

LVCRIO.

Nunquam edepol vidi promere; verum hoc hac erat.
Mihi imperabat; ego promebam postea.

PALAESTRIO.

Ain', incelebra? Capite sistebant cadi?

LVCRIO.

Non hercle: tam istic valide casabant cadi,
Si in cella paulo erant nimis loculi lubrici.
Ibi erat bilibris aqualis sic propter cados;
Ea saepe decies conplebatur de die.

PALAESTRIO.

Eam plenam atque inanem fieri?

LVCRIO.

Maxume.

Vbi bacchabatur aula: casabant cadi.

PALAESTRIO.

Abi, abi intro iam. Indu cella vos vinaria

Bacchanal facitis: iam hercle ego herum adducam a foro. —

LVCRIO.

Perii, excruciabit me herus, domum si venerit,
Quom haec facta scibit, quia sibi non dixerim!
Fugiam hercle aliquo atque hoc in diem extollam malum.
Ne dixeritis, obsecro, huic, vostram fidem.

PALAESTRIO.

Quo te agis?

LVCRIO.

Missus sum alio. Iam huc revenero.

PALAESTRIO.

Quis misit?

LVCRIO.

Philocomasium.

PALAESTRIO.

Abi. Actutum redi.

LVCRIO.

Quaeso tamen, tu partem infortuni meam,
Si dividetur, me absente accipito tamen.

PALAESTRIO.

Modo intellexi, quam rem mulier gesserit.
Quia Sceledrus dormit: hunc subcustodem suom
Foris ablegavit, dum eapse huc transiret. Placet.
Sed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
Nimis lepida forma ducit. Di hercle hanc rem adiuvant.
Quam digne ornata incedit, haud meretricie!
Lepide hoc succedit sub manus negotium.

PERIPLECTOMENES. ACROTELEVTIVM. MILPHIDIPPA. PALAESTRIO.

PERIPLECTOMENES.

Rem omnem, Acroteleutium, tibi tibique una, Milphidippa, i. t. c. III, 3.
Domi demonstravi ordine. Hanc fabricam fallaciasque
Minus si tenetis: denuo volo percipiatis plane.
Satis si intellegitis: aliud est, quod potius fabulemur.

ACROTELEVTIVM.

Stultitia atque insipientia haec et falsa falsitas sit,
Me ire in opus alienum aut tibi meam operam pollicitari,
Si ea in opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.

PERIPLECTOMENES.

At melius est monerier.

ACROTELEVTIVM.

Meretricem conmoneri,
Quam sane magni referat, mihi clam est! Quid? egone frustra,
Postquam adbibere aures meae tuam moeram orationis,
Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset deasciari?

PERIPLECTOMENES.

At nemo solus satis sapit: nam ego multos saepe vidi
Regionem fugere consili prius, quam repertam habere.

ACROTELEVTIVM.

Si quid faciundum est mulieri male atque malitiose:
Sibi inmortalis memoria est meminisse et sempiterna;
Sin bene quid aut fideliter faciundum est: eo deveniunt,
Obliviosae extempulo ut fiant, meminisse nequeunt.

PERIPLECTOMENES.

Ergo istuc metuo, quod venit vobis faciundum utrimque:
Nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambae.

ACROTELEVTIVM.

Dum ne inscientes quod bonum faciamus: ne formida.
Mala nulla meretrix (ne pave), peiora ubi conveniunt.

PERIPLECTOMENES.

Ita vos decet. Consequimini.

PALAESTRIO.

Cesso illis obviam ire?
Venire salvom gaudeo. Lepide hercle ornatus cedis.

PERIPLECTOMENES.

Bene opportuneque obviam es, Palaestrio. Hem, tibi adsunt,
Quas me iussisti adducere et quo ornatu!

PALAESTRIO.

Heus, noster esto!
Palaestrio Acroteleutium salutat.

ACROTELEVTIVM.

Quis hic, amabo, est,
Qui tam pro nota nominat me?

PERIPLECTOMENES.

Hic noster architectust.

ACROTELEVTIVM.

Salve, architecte.

PALAESTRIO.

Salva sis. Sed dic mihi, ecquid hic te
Oneravit praeceptis?

PERIPLECTOMENES.

Probe meditatam utramque duco.

PALAESTRIO.

Audire cupio, quemadmodum: ne quid peccetis, paveo.

PERIPLECTOMENES.

Ad tua praecepta de meo nihil his novom adposivi.

ACROTELEVTIVM.

Nempe ludificari militem tuom herum vis?

PALAESTRIO.

Elocuta es.

ACROTELEVTIVM.

Lepide et sapienter, commode et facete, res parata est.

PALAESTRIO.

Atque huius uxorem esse te volo adsimulare . . . .

ACROTELEVTIVM.

Fiat.

PALAESTRIO.

Quasi militi animum adieceris, simulare . . . .

ACROTELEVTIVM.

Sic futurum est.

PALAESTRIO.

Quasique haec res per me interpretem et tuam ancillam ei geratur . . . .

ACROTELEVTIVM.

Bonus vates poteras esse: nam, quae sunt futura, dicis.

PALAESTRIO.

Quasique anulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem rursum militi darem tuis verbis.

ACROTELEVTIVM.

Vera dicis.

PERIPLECTOMENES.

Quid istis nunc memoratis opust, quae conmeminere?

ACROTELEVTIVM.

Meliust:
Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus architectust,
Bene lineatam si semel carinam conlocavit,
Facile esse navem facere, ubi fundata et constituta est.
Nunc haec carina satis pro re fundata et bene statuta est;
Adsunt fabri architectique a te, a med, haud inperiti;
Si non nos materiarius remoratur, quod opus, qui det:
(Novi indolem nostri ingeni) cito erit parata navis.

PALAESTRIO.

Nempe tu novisti militem, meum herum?

ACROTELEVTIVM.

Rogare mirum est.
Popli odium quidni noverim, magnidicum, cincinnatum,
Moechum unguentatum?

PALAESTRIO.

Num ille te nam novit?

ACROTELEVTIVM.

Nunquam vidit:
Qui noverit me, quis ego sum?

PALAESTRIO.

Nimis lepide fabulare.
Eo potis est, rem lepidius pol fieri.

ACROTELEVTIVM.

Potin', ut hominem
Mihi des, quiescas cetera? Ni ludificata lepide
Ero: culpam omnem in me inpingitote.

PALAESTRIO.

Agite igitur, intro abite!
Insistite hoc negotium sapienter!

ACROTELEVTIVM.

Alia cura.

PALAESTRIO.

Age, Periplectomene, has nunc ïam duc intro; ego ad forum illum
Conveniam atque illi hunc anulum dabo atque praedicabo
A tua uxore esse mihi datum, eamque illum deperire.
Hanc ad nos, quom extemplo a foro veniemus, mittitote,
Quasi clanculum ad me missa sit.

PERIPLECTOMENES.

Faciemus: alia cura.

PALAESTRIO.

Vos modo curate: ego illunc probe iam oneratum huc adciebo.

PERIPLECTOMENES.

Bene ambula; bene rem gere! At ego hoc nunc si ecficiam plane,
Vt concubinam militis meus hospes habeat hodie
Atque hinc Athenas avehat, si hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris?

ACROTELEVTIVM.

Datne eapse mulier operam?

PALAESTRIO.

Lepidissumam et comissumam.

ACROTELEVTIVM.

Confido, confuturum.
Vbi facta erit conlatio nostrarum malitiarum:
Haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur.

PERIPLECTOMENES.

Abeamus ergo intro, haec uti meditemur cogitate:
Vt adcurate et commode hoc, quod agendum est, exsequamur:
Ne quid, ubi miles venerit, titubetur.

ACROTELEVTIVM.

Tu morare.

PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

PYRGOPOLINICES.

Volup est, quod agas, si id procedit lepide et ex sententia. t. t. c. IV, 1.
Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum:
Vt latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui eius regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.

PALAESTRIO.

Quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci: quae tibi
Conditio nova luculenta fertur per me interpretem.

PYRGOPOLINICES.

Imo omnis res posteriores pono atque operam do tibi.
Loquere: auris meas profecto dedo in ditionem tuam.

PALAESTRIO.

Circumspicedum, ne quis nostro hic auceps sermoni siet:
Nam hoc negoti clandestino ut agerem, mandatum est mihi.

PYRGOPOLINICES.

Nemo adest.

PALAESTRIO.

Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe

PYRGOPOLINICES.

Quid hic? unde est?

PALAESTRIO.

A luculenta atque a festiva femina,

Quae te amat tuamque expetissit pulcram pulcritudinem.
Eius nunc mi anulum ad te ancilla porro ut deferrem dedit.

PYRGOPOLINICES.

Quid? ean' ingenua, an festuca facta e serva libera est?

PALAESTRIO.

Vah,
Egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius,
Qui ingenuis satis responsare nequeas, quae cupiunt tui?

PYRGOPOLINICES.

Nuptan' ista, an vidua?

PALAESTRIO.

Et nupta et vidua.

PYRGOPOLINICES.

Quo pacto potis
Vidua et nupta esse eadem?

PALAESTRIO.

Quia adulescens nupta est cum sene.

PYRGOPOLINICES.

Euge!

PALAESTRIO.

Lepida et liberali forma est.

PYRGOPOLINICES.

Cave mendacium.

PALAESTRIO.

Ad tuam formam illa una digna est.

PYRGOPOLINICES.

Hercle pulcram praedicas.
Sed quis ea est?

PALAESTRIO.

Senis huius uxor Periplectomeni in proxumo.
Ea demoritur te atque ab illo cupit abire: odit senem;
Nunc te orare atque obsecrare iussit, ut tui copiam
Sibi potestatemque facias.

PYRGOPOLINICES.

Cupio hercle equidem, si illa volt.

PALAESTRIO.

Quin cupit.

PYRGOPOLINICES.

Quid illa faciemus concubina, quae domi est?

PALAESTRIO.

Quin tu illanc iube abs te abire, quo lubet: sicut soror
Eius huc gemina venit Ephesum et mater arcessuntque eam.

PYRGOPOLINICES.

Ain' tu? advenit Ephesum mater huius?

PALAESTRIO.

Aiunt, qui sciunt.

PYRGOPOLINICES.

Hercle occasionem lepidam, ut mulierem excludam foras.

PALAESTRIO.

Imo vin' tu lepide facere?

PYRGOPOLINICES.

Loquere et consilium cedo.

PALAESTRIO.

Vin' tu illam actutum amovere, a te ut abeat per gratiam?

PYRGOPOLINICES.

Cupio.

PALAESTRIO.

Tum te hoc facere oportet. Tibi divitiarum adfatim est:
Iube, sis, aurum atque ornamenta, quae illi instruxisti, sibi
Dono habere, auferred abs te, quoquo lubeat, mulierem.

PYRGOPOLINICES.

Placet, ut dicis. Sed, ne istanc amittam et haec mutet fidem,
Vide modo.

PALAESTRIO.

Vah, delicatus! quae te tamquam oculos amet!

PYRGOPOLINICES.

Venus me amat.

PALAESTRIO.

Tace: aperiuntur fores: concede huc clanculum.
Haec celox illius, quae huc egreditur internuntia.

PYRGOPOLINICES.

Quae haec celox?

PALAESTRIO.

Ancillula illius est, quae huc egreditur foras,
Quae anulum istunc attulit, quem tibi dedi.

PYRGOPOLINICES.

Edepol haec quidem
Bellula est.

PALAESTRIO.

Pithecium haec est prae illa et spinturnicium.
Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus?

MILPHIDIPPA. PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

MILPHIDIPPA.

Iam est ante aedis circus, ubi sunt ludi faciundi mihi. t. t. c. IV, 2.
Adsimulabo, hos quasi non videam neque esse hic etiamdum sciam.

PYRGOPOLINICES.

Tace: subauscultemus, ecquid de me fiat mentio.

MILPHIDIPPA.

Numquisnam hic prope, qui rem alienam potius curet quam suam?
Qui aucupet me, quid agam? qui de vesperi vivat suo?
Eos nunc homines metuo mihi, ne obsint neve obstent uspiam,
Domo si bitat, dum huc transibit, quae huius cupiens corporist,
Quae amat hunc hominem nimium lepidum et nimia pulcritudine,
Militem Pyrgopolinicem.

PYRGOPOLINICES.

Satin' haec quoque me deperit?
Meam laudat speciem. Edepol huius sermones cinerem haud quaeritant.

PALAESTRIO.

Quo argumento?

PYRGOPOLINICES.

Quia enim loquitur laute et minume sordide;

Tum autem illa ipsa est nimium lepida nimisque nitida femina.
Hercle vero iam adlubescit primulum, Palaestrio.

PALAESTRIO.

Priusque, quam illanc oculis tuis vides?

PYRGOPOLINICES.

Atqui adcredo tibi,
Tum haec locuta illam autem absentem subigit me ut amem.

PALAESTRIO.

Hercle hanc quidem
Nil tu amassis: mi haec desponsa est. Tibi si illa hodie nupserit:
Hanc continuo uxorem ego ducam.

PYRGOPOLINICES.

Quid conloqui ergo hanc dubitas? as. ex t. d. et i. d. c.

PALAESTRIO.

Sequere hac me ergo.

PYRGOPOLINICES.

Pedisequos tibi sum.

MILPHIDIPPA.

Vtinam, quoius causa
Foras sum egressa, conveniundi mihi evenat potestas!

PALAESTRIO.

Erit, tibi exoptatum obtinget: bonum habe animum! ne formida!
Homo quidam est, qui scit, quod quaeris, ubi sit.

MILPHIDIPPA.

Quem ego hic audivi?

PALAESTRIO.

Sociennum tuom et tuorum participem consiliorum.

MILPHIDIPPA.

Tum pol ego id, quod celo, haud celod.

PALAESTRIO.

Imo etiam sic non celas.

MILPHIDIPPA.

Quo argumento?

PALAESTRIO.

Infidos celas; ego sum tibi fide firma.

MILPHIDIPPA.

Cedo signum, si harunc Baccharum es.

PALAESTRIO.

Amat mulier quaedam quendam.

MILPHIDIPPA.

Pol istuc quidem multae.

PALAESTRIO.

At non multae de digito donum mittunt.

MILPHIDIPPA.

Enim cognovi nunc: fecisti modo mi ex proclivo planum.

Sed hic numquis adest?

PALAESTRIO.

Vel adest, vel non.

MILPHIDIPPA.

Cedo te mihi solae solum.

PALAESTRIO.

Breven' an longinquo sermone?

MILPHIDIPPA.

Tribus verbis.

PALAESTRIO.

Iam ad te redeo.

PYRGOPOLINICES.

Quid? ego hic adstabo tantisper cum hac forma et factis frustra?

PALAESTRIO.

Patere atque adsta: tibi ego hanc do operam.

PYRGOPOLINICES.

Propere properadum: excrucior!

PALAESTRIO.

Pedetentim tu haec scis tractare solere hasce huiusmodi merces.

PYRGOPOLINICES.

Age, age, ut tibi magis concinnum est!

PALAESTRIO.

Nullum hoc stolidius saxum. —
Redeo ad te. Quid me voluisti?

MILPHIDIPPA.

Quo pacto hoc Ilium aperit,
Velim te ferre ad me consilium.

PALAESTRIO.

Hunc quasi depereat . . . .

MILPHIDIPPA.

Teneo istuc.

PALAESTRIO.

Conlaudato formam et faciem, et virtutes conmemorato.

MILPHIDIPPA.

Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonstravi.

PALAESTRIO.

Cetera tu coram et contempla et de meis venator verbis.

PYRGOPOLINICES.

Mihi partem hodie operae des denique! Iam tandem ades eloco!

PALAESTRIO.

Adsum:
Impera, si quid vis.

PYRGOPOLINICES.

Quid illaec narrat tibi?

PALAESTRIO.

Lamentari
Ait illanc miseram, cruciari et lacrumantem se adflictare;
Quia tis egeat, quia te careat. Ob eam rem huc ad te missa est.

PYRGOPOLINICES.

Iube adire.

PALAESTRIO.

At scin', quid tu facias? Face te fastidi plenum,
Quasi non lubeat. Me inclamato: quia sic te volgo volgem.

PYRGOPOLINICES.

Memini et praeceptis parebo.

PALAESTRIO.

Voco ergo hanc, quae te quaerit?

PYRGOPOLINICES.

Adeat, si quid volt.

PALAESTRIO.

Si quid vis, adi, mulier!

MILPHIDIPPA.

Pulcer, salve.

PYRGOPOLINICES.

Meum cognomentum quis conmemoravit? Di tibi dent, quae optes.

MILPHIDIPPA.

Tecum aetatem exigere ut liceat . . . .

PYRGOPOLINICES.

Nimium optas.

MILPHIDIPPA.

Non me dico;
Sed heram meam, quae te demoritur.

PYRGOPOLINICES.

Multae aliae item istuc cupiunt,
Quibus non copia.

MILPHIDIPPA.

Haud ecastor mirum, si te habes carum,
Hominem tam pulcrum et praeclara virtute et forma et factis.
Heus,
Dignior fuit quisquam, homo qui esset?

PALAESTRIO.

Non hercle humanust ergo:
Nam volturio plus humani, credo, est.

PYRGOPOLINICES.

Magnum me faciam
Nunc: quoniam illaec me conlaudat.

PALAESTRIO.

Viden' ignavom, ut sese infert? —
Quin tute huic responde! Haec illaec ab illac est, quam dudum . . . .

PYRGOPOLINICES.

Quanam ab „illac"? nam ita me occursant multae: meminisse haud possum.

MILPHIDIPPA.

Ab illa, quae digitos despoliat suos et tuos digitos decorat:
Nam anulum hunc ab tui cupiente istac detuli huiic.

PYRGOPOLINICES.

Porro
Quid nunc tibi vis, mulier, memora.

MILPHIDIPPA.

Vt, quae te cupit, eam ne spernas,
Quae per tuam nunc vitam vivit? Sit, nec sit, spes in te uno est.

PYRGOPOLINICES.

Quid nunc volt?

MILPHIDIPPA.

Te conpellare et conplecti et contractare.
Nam nisi tu illi fers suppetias: iam illa animum despondebit.
Age, mi Achilles, fiat, quod te oro! serva pulcram, pulcer!
Exprome ingenium benignum ex te, urbicape, occisor regum!

PYRGOPOLINICES.

Heu
Hercle odiosas res! quotiens hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne volgo polliciteris sic operam?

PALAESTRIO.

Audin' tu, mulier?
Dixi hoc tibi dudum et nunc dico: ni huic verri adfertur merces,

Non suo seminio hic quamquam inpartiturust porculenam.

MILPHIDIPPA.

Dabitur, quantum ipsus preti poscet.

PALAESTRIO.

Talentum huic Philippum opus auri est.
Minus ab nemine accipiet.

MILPHIDIPPA.

Heu ecastor nimis vilist tandem!

PYRGOPOLINICES.

Non mihi avarities unquam innata est: satis est divitiarum:
Plus mihi mille auri est modiorum Philippei.

PALAESTRIO.

Praeter thesaurum.
Tum argenti hic montis, non massas, habet. Aetna non aeque altus.

MILPHIDIPPA.

Ecastor periurum!

PALAESTRIO.

Vt ludo?

MILPHIDIPPA.

Quid ego? ut sublecto os?

PALAESTRIO.

Scite.

MILPHIDIPPA.

Sed, amabo, me mitte actutum.

PALAESTRIO.

Quin tu huic respondes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum? quid miseram illam animi excrucias,
Quae male de te merita est nunquam?

PYRGOPOLINICES.

At iube eampse exire huc ad nos.
Dic me omnia, quae volt, facturum.

MILPHIDIPPA.

Facis nunc, ut facere aequom,
Quom, quae te vólt, eandem tu vis . . . .

PALAESTRIO.

Non hoc insulsum ingenium!

MILPHIDIPPA.

Quomque oratricem haud sprevisti, sistique exorari ista. —
Quid est? ut ludo?

PALAESTRIO.

Nequeo hercle equidem risu meo moderari.
Ob eam causam huc abs te avorti.

PYRGOPOLINICES.

Non edepol tu scis, mulier,
Quantum ego honorem nunc illi habeo.

MILPHIDIPPA.

Scio et istuc illi dicam.

PALAESTRIO.

Contra auro alii hanc vendere potuit operam.

MILPHIDIPPA.

Istuc pol tibi credo.

PALAESTRIO.

Meri bellatores gignuntur, quas hic praegnatis fecit
Et pueri annos octingentos vivont.

MILPHIDIPPA.

Vae tibi, nugator!

PYRGOPOLINICES.

Quin mille annorum perpetuo vivont ab seclo ad seclum.

PALAESTRIO.

Eo minus dixi, ne haec censeret me advorsum se mentiri.

MILPHIDIPPA.

Perii, quot hic ipse annos vivet, quoius filii tam diu vivont?

PYRGOPOLINICES.

Postriduo ego sum natus, mulier, quam Iupiter ex Ope natust.

PALAESTRIO.

Pridie si hic natus foret, quam ille est: hic haberet regnum in coelo.

MILPHIDIPPA.

Iam, iam sat, amabo, est: sinite abeam, si possum, viva a vobis!

PALAESTRIO.

Quin ergo abi, quando responsum est.

MILPHIDIPPA.

Ibo atque illam huc adducam,
Quam propter mi opera est. Numquid vis?

PYRGOPOLINICES.

Ne mage sim pulcer, quam sum:
Ita me forma habet sollicitum.

PALAESTRIO.

Quid hic nunc stas? quin abi!

MILPHIDIPPA.

Abeo.

PALAESTRIO.

Atque adeo (audin'?) dicito docte et cordate.

MILPHIDIPPA.

Vt cor ei saliat.

PALAESTRIO.

Philocomasio dic, si est hic, domum ut transeat: hunc hic esse.

MILPHIDIPPA.

Hic est cum hera; clam sermonem hunc nostrum sublegerunt.

PALAESTRIO.

Lepide factum est: iam ex sermone hoc gubernabunt doctius porro.

MILPHIDIPPA.

Remorare: abeo.

PALAESTRIO.

Neque te remoro neque te tago neque te — Taceo.

PYRGOPOLINICES.

Iube maturate illam exire huc: iam isti re praevortemur.
Quid mihi nunc auctor, ut faciam, es, Palaestrio,
De concubina? nam potest nullo prius
Pacto haec in aedis recipi, quam illam amiserim.

PALAESTRIO.

Quid me consultas, quid agas? Dixi equidem tibi,
Quo pacto id fieri possit clementissume.
Aurum atque vestem muliebrem omnem habeat sibi,
Quae illi instruxisti; sumat, habeat, auferat;
Dicasque, tempus maxumum esse, ut eat domum:
Sororem geminam adesse et matrem dicito,
Quibus concomitata recte deveniat domum.

PYRGOPOLINICES.

Qui tu scis, eas adesse?

PALAESTRIO.

Quia oculis meis
Vidi hic sororem esse eius.

PYRGOPOLINICES.

Convenitne eam?

PALAESTRIO.

Convenit.

PYRGOPOLINICES.

Ecquid fortis visa est?

PALAESTRIO.

Omnia
Vis obtinere.

PYRGOPOLINICES.

Vbi matrem esse aiebat soror?

PALAESTRIO.

Cubare in navi lippam atque oculis turgidis,
Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.
Is ad hos nauclerus hospitio devortitur.

PYRGOPOLINICES.

Quid is? ecquid fortis?

PALAESTRIO.

Abi, sis, hinc: nam tu quidem
Ad equas fuisses scitus admissarius,
Qui consectere qua mares, qua feminas.

PYRGOPOLINICES.

Hoc age nunc.

PALAESTRIO.

Istuc.

PYRGOPOLINICES.

Quod das consilium mihi,
Te cum illa verba facere de ista re volo:
Nam cum illa sane congruos sermo tibi.

PA-

PALAESTRIO.

Qui potius, quam tute adeas, tuam rem tute agas,
Dicas, uxorem tibi necessum ducere,
Cognatos persuadere, amicos cogere?

PYRGOPOLINICES.

Itane tu censes?

PALAESTRIO.

Quid ego ni ita censeam?

PYRGOPOLINICES.

Ibo igitur intro. Tu hic ante aedis interim
Speculare: ut, ubi illaec prodeat, me provoces.

PALAESTRIO.

Tu modo istuc cura, quod agis.

PYRGOPOLINICES.

Curatum id quidem est.
Quin si voluntate nolet: vi extrudam foras.

PALAESTRIO.

Istuc cave faxis; quin potius per gratiam
Bonam abeat abs te; atque illaec, quae dixi, dato:
Aurum ornamenta, quae illi instruxisti, ferat.

PYRGOPOLINICES.

Cupio hercle.

PALAESTRIO.

Credo, facile te inpetrassere.
Sed abi intro; noli stare.

PYRGOPOLINICES.

Tibi sum obediens.

PALAESTRIO.

Numquid videtur demutare atque ut quidem
Dixi esse vobis dudum hunc moechum militem?
Nunc ad me ut veniat usust Acroteleutium
Ancillula eius et Pleusides. Proh Iupiter,

Satin' ut commoditas usquequaque me adiuvat?
Nam quos vidêre me exoptabam maxume,
Vna exeuntis video illinc de proxumo.

ACROTELEVTIVM. MILPHIDIPPA. PLEVSIDES. PALAESTRIO.

ACROTELEVTIVM.

Sequimini! simul circumspicite: ne quis adsit arbiter. t. t. c. IV, 3.

MILPHIDIPPA.

Neminem pol video, nisi hunc, quem volumus conventum.

ACROTELEVTIVM.

Et ego vos.

MILPHIDIPPA.

Quid agis, noster architecte?

PALAESTRIO.

Egon' architectus! Vah!

MILPHIDIPPA.

Quid est?

PALAESTRIO.

Quia enim non sum dignus prae te, ut figam palum in parietem.

ACROTELEVTIVM.

Heia vero!

PALAESTRIO.

Nimis facete nimisque facunde mala est.
Vt lepide deruncinavit militem!

ACROTELEVTIVM.

At etiam parum.

PALAESTRIO.

Bono animo es: negotium omne iam succedit sub manus.
Vos modo porro, ut occepistis, date operam adiutabilem:
Nam ipse miles concubinam intro abiit oratum suam,
Ab se ut abeat cum sorore et matre Athenas.

PLEVSIDES.

Heu probe!

PALAESTRIO.

Quin etiam aurum atque ornamenta, quae ipse instruxit, mulieri
Omnia dat dono, a se ut abeat: ita ego consilium dedi.

PLEVSIDES.

Facile istuc quidem est, si et illa volt et ille autem cupit.

PALAESTRIO.

Non tu scis, quom ex alto puteo sursum ad summum escenderis,
Maxumum periclum inde esse a summo ne rursum cadas?
Nunc haec res apud summum puteum geritur: si prosenserit
Miles, nihil ecferri poterit huius. Nunc quam maxume
Opus dolis.

PLEVSIDES.

Domi esse ad eam rem video silvai satis:
Mulieres tres; quartus tute es; quintus ego; sextus senex.

PALAESTRIO.

Quod apud nos fallaciarum se excitant!

PLEVSIDES.

Certo scio.

PALAESTRIO.

Oppidum quodvis videtur posse expugnari dolis:
Date modo operam.

ACROTELEVTIVM.

Id nos ad te, si quid velles, venimus.

PALAESTRIO.

Lepide facitis. Nunc tibi hanc ego impero provinciam.

ACROTELEVTIVM.

Inpetrabis, Imperator, quoad ego potero, quod voles.

PALAESTRIO.

Militem lepide et facete et laute ludificarier
Volo.

ACROTELEVTIVM.

Voluptatem mecastor mi imperas.

PALAESTRIO.

Scin', quemadmodum?

ACROTELEVTIVM.

Nempe ut adsimulem me amore istius differri . . . .

PALAESTRIO.

Rem tenes.

ACROTELEVTIVM.

Quasique istius causa amoris ex hoc matrimonio
Abierim, cupiens istius nuptiarum.

PALAESTRIO.

Omne ordine,

Nisi modo unum hoc: hasce esse aedis dicas dotalis tuas;
Hinc senem abs te abiisse, postquam feceris divortium:
Ne ille mox vereatur introd ire in alienam domum.

ACROTELEVTIVM.

Bene mones.

PALAESTRIO.

Sed ubi ille exierit intus: istic te procul
Ita volo adsimulare, prae illius forma quasi spernas tuam,
Quasique eius opulentitatem reverearis; et simul
Formae amoenitatem illius, facie pulcritudinem,
Conlaudato. Satin' praeceptum est?

ACROTELEVTIVM.

Teneo. Satin' est, si tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut inprobare non queas?

PALAESTRIO.

Sat habeo. Nunc tibi vicissimque imperabo.

PLEVSIDES.

Dicito.

PALAESTRIO.

Quam extemplo hoc erit factum, ubi intro haec abierit: tute eloco
Facito uti venias ornatus ornatu huc nauclerico:
Causiam habeas ferrugineam; culcitam ob oculos laneam;
Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalassicust)
Item, connexum in humero laevo, ecfibulato brachio;

Praecinctus aliqui, adsimulato, quasi gubernator sies.
Atque apud hunc senem omnia haec sunt: nam is piscatores habet.

PLEVSIDES.

Quid, ubi ero exornatus? quin tu dicis, quid facturus sim?

PALAESTRIO.

Huc venito et matris verbis Philocomasium arcessito:
Vt, si itura siet Athenas, eat tecum ad portum cito,
Atque ad iubeat ferri in navim, si quid inponi velit.
Nisi eat: te soluturum esse navim: ventum operam dare.

PLEVSIDES.

Satis placet pictura: perge.

PALAESTRIO.

Ille extemplo illam hortabitur,
Vt eat, properet, ne morae sit matri.

PLEVSIDES.

Multimodis sapis.

PALAESTRIO.

Ego illi dicam, ut me adiutorem, qui onus feram ad portum, roget. i. t.
Ille iubebit me ire cum illa ad portum. Ego adeo, ut tu scias, t. t. c.
Prorsum Athenas protinam abibo tecum.

PLEVSIDES.

Atque illo ubi veneris:
Triduom servire nunquam te, quin liber sis, sinam.

PALAESTRIO.

Abi cito atque orna te.

PLEVSIDES.

Numquid aliud?

PALAESTRIO.

Haec vt memineris.

PLEVSIDES.

Abeo.

PALAESTRIO.

Et vos abite hinc intro actutum: nam illum hinc sat scio
Iam exiturum esse intus.

ACROTELEVTIVM.

Celebre apud nos imperium tuom est.

PALAESTRIO.

Agite, abscedite ergo. Ecce autem commodo aperitur foris.
Hilarus exit: inpetravit; inhiat, quod nusquam est, miser.

PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

PYRGOPOLINICES.

Quod volui, ut volui, inpetravi per amicitiam et gratiam a t. t. c. IV, 4.
Philocomasio.

PALAESTRIO.

Quidnam tam intus fuisse te dicam diu?

PYRGOPOLINICES.

Nunquam ego me tam sensi amari, quam nunc ab ea muliere.

PALAESTRIO.

Quid iam?

PYRGOPOLINICES.

Vt multa verba fecit! lenta ut materies fuit!
Verum postremo inpetravi, ut volui. Donavid ei,
Quae voluit, quae postulavit; te quoque ei dono dedi.

PALAESTRIO.

Etiam me? quomodo ego vivam sine te?

PYRGOPOLINICES.

Age, es animo bono:
Idem ego te liberabo. Nam, si possem ullo modo
Inpetrare, ut abiret nec te abduceret, operam dedi;
Verum oppressit.

PALAESTRIO.

Deos sperabo teque postremo. Tamen-
etsi istuc mihi acerbum est, quia hero te carendum est optumo:
Saltem id volupe est, quom ex virtute formai evenit tibi
Mea opera super hac vicina, quam ego nunc concilio tibi.

PYRGOPOLINICES.

Quid opust verbis? libertatem tibi ego et divitias dabo,
Si inpetras.

PALAESTRIO.

Reddam inpetratum.

PYRGOPOLINICES.

At gestio.

PALAESTRIO.

At modice decet
Moderare animo: ne sis cupidus. Sed, eccam ipsam, egreditur foras.

ACROTELEVTIVM. MILPHIDIPPA. PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

MILPHIDIPPA.

Hera, eccum praesto militem!

ACROTELEVTIVM.

Vbi est?

MILPHIDIPPA.

Ad laevam.

ACROTELEVTIVM.

Video. i. t. c. IV, 5

MILPHIDIPPA.

Adspicito limis oculis: ne ille sese sentiat, nos Videre.

ACROTELEVTIVM.

Edepol nunc tempus, nos malas peiores fieri.

MILPHIDIPPA.

Tuom est principium.

ACROTELEVTIVM.

Obsecro, tute ipsum convenisti? Ne parce voci: ut audiat.

MILPHIDIPPA.

Cum ipso ipsa pol secuta
Placide, dum lubitum est mi, otiose, meo arbitratu, ut volui.

PYRGOPOLINICES.

Audin', quae loquitur?

PALAESTRIO.

Audio. Quam laeta est, quia adit ad te!

ACROTELEVTIVM.

O fortunata mulier!

PYRGOPOLINICES.

St! Vt amari videor!

PALAESTRIO.

Dignus.

ACROTELEVTIVM.

Permirum ecastor praedicas, te adisse atque exorasse:
Per epistolam aut per nuntium, quasi regem, adiri eum aiunt.

MILPHIDIPPA.

Namque edepol copia vix fuit adeundi atque inpetrandi.

PALAESTRIO.

Vt tu inclutus apud mulieres!

PYRGOPOLINICES.

Patiar: quando ita Venus volt.

ACROTELEVTIVM.

Veneri pol habeo gratiam eandemque et oro et quaeso,
Vt eius mihi sit copia, quem amo quemque expetesso,
Benignusque erga me ut siet: quod cupiam, ne gravetur.

MILPHIDIPPA.

Spero, ita futurum: quamquam illunc multae sibi expetessunt,
Ille illas spernit segregatque ab se omnis extra te unam.

ACROTELEVTIVM.

Ergo iste metus me macerat, quod illic fastidiosust:
Oculi eius ne sententiam mutent, ubi viderit me,
Atque eius elegantia meam extemplo speciem spernat.

MILPHIDIPPA.

Non faciet: habe animum bonum!

PYRGOPOLINICES.

Vt ipsa se contemnit!

ACROTELEVTIVM.

Metuo, ne praedicatio tua nunc meam formam exsupêret.

MILPHIDIPPA.

Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior sis.

ACROTELEVTIVM.

Si pol me nolet ducere uxorem: genua amplectar
Atque obsecrabo aliquo modo. Si non quibo inpetrare:
Consciscam letum. Vivere sine illo scio me non posse.

PYRGOPOLINICES.

Prohibendam mortem mulieri video. Adibone?

PALAESTRIO.

Minume:
Nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere.
Sine ultro veniat, quaeritet, desideret, expetessat.
Si ne istam perdere gloriam vis, quam habes: cave, sis, faxis.
Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus,
Tibi et Phaoni Lesbio, tam vivide ut amarentur.

ACROTELEVTIVM.

Eho, intro abidum illunc evocatum foras, mea Milphidippa!

MILPHIDIPPA.

Imo opperiamur, dum exeat aliquis.

ACROTELEVTIVM.

Durare nequeo,
Quin eam intro.

MILPHIDIPPA.

Occlusae sunt fores.

ACROTELEVTIVM.

Ecfringam.

MILPHIDIPPA.

Sana non es.

ACROTELEVTIVM.

Si amavit unquam aut si parem hic sapientiam habet ac formam:
Per amorem si quid fecero, clementi ignoscet animo.

PALAESTRIO.

Vt, quaeso, amore perdita est haec misera!

PYRGOPOLINICES.

Mutuom fit.

PALAESTRIO.

Tace: ne audiat.

MILPHIDIPPA.

Quid abstitisti obstupida? cur non pultas?

ACROTELEVTIVM.

Quia non est intus, quem ego volo.

PALAESTRIO.

Qui scis?

ACROTELEVTIVM.

Scio edepol facile:
Nam odore nasum sentiat, si int s sit.

PYRGOPOLINICES.

Hariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eam, ut divinaret.

ACROTELEVTIVM.

Nescio, ubi hic prope adest, quem expeto videre: olet profecto.

PYRGOPOLINICES.

Naso pol iam haec quidem videt plus, quam oculis.

PALAESTRIO.

Coeca amore est.

ACROTELEVTIVM.

Tene me, obsecro!

MILPHIDIPPA.

Cur?

ACROTELEVTIVM.

Ne cadam.

MILPHIDIPPA.

Quid ita?

ACROTELEVTIVM.

Quia stare nequeo:
Ita animus per oculos meus defit.

MILPHIDIPPA.

Pol militem tu
Adspexisti.

ACROTELEVTIVM.

Ita.

MILPHIDIPPA.

Non video, ubi est?

ACROTELEVTIVM.

Videres pol, si amares.

MILPHIDIPPA.

Non edepol tu illum magis amas, quam egomet, si te per liceat.

PALAESTRIO.

Omnes profecto mulieres te amant, ut quaeque adspexit.

PYRGOPOLINICES.

Nescio, tun' me ex hoc audieris, an non: nepos sum Veneris.

ACROTELEVTIVM.

Mea Milphidippa, adi, obsecro, et congredere!

PYRGOPOLINICES.

Vt me veretur!

PALAESTRIO.

Illa ad nos pergit.

MILPHIDIPPA.

Vos volo.

PYRGOPOLINICES.

Et nos ted.

MILPHIDIPPA.

Vti iussisti,
Heram meam eduxi foras.

PYRGOPOLINICES.

Video.

MILPHIDIPPA.

Iube ergo adire.

PYRGOPOLINICES.

Induxid animum, ne oderim, item ut alias: quando orasti.

MILPHIDIPPA.

Verbum hercle facere non potis, si accesserit prope ad te:
Dum te obtuetur, interim linguam oculi praeciderunt.

PYRGOPOLINICES.

Levandum morbum mulieri video.

MILPHIDIPPA.

Vt tremit atque extimuit,
Postquam ted adspexit?

PYRGOPOLINICES.

Virique armati item istuc faciunt:

Ne tu mirere mulierem plus. Sed quid volt med agere?

MILPHIDIPPA.

Ad sed eas: tecum vivere volt atque aetatem exigere.

PYRGOPOLINICES.

Egon' ad eam, quae nupta sit? Vir eius est metuendus.

MILPHIDIPPA.

Quin tua causa exegit virum a se.

PYRGOPOLINICES.

Quid? qui id facere potuit?

MILPHIDIPPA.

Quia aedes dotales huius.

PYRGOPOLINICES.

Itan'?

MILPHIDIPPA.

Ita pol.

PYRGOPOLINICES.

Iube eam domum ire:
Iam ego illi ero.

MILPHIDIPPA.

Vide, ne sies illi exspectationi:
Ne illam animi excrucies.

PYRGOPOLINICES.

Non ero profecto. Abite.

MILPHIDIPPA.

Abimus.

PYRGOPOLINICES.

Sed quid ego video?

PALAESTRIO.

Quid vides?

PYRGOPOLINICES.

Nescio quis, eccum, incedit,
Ornatu quidem thalassico.

PALAESTRIO.

Iam nos volt hic profecto:
Naucleruft hic quidem.

PYRGOPOLINICES.

Videlicet arcessit amicam hinc.

PALAESTRIO.

Credo.

PLEVSIDES. PALAESTRIO. PYRGOPOLINICES.

PLEVSIDES.

Alium alio pacto propter amorem ni sciam i. s. VI, 6.
Fecisse multa nequiter: verear magis
Me amoris causa cum hoc ornatu incedere;
Verum quom multos multa admisse acceperim
Inhonesta propter amorem atque aliena a bonis:
Mitto iam, ut occidi Achilles civis passus est . . . .
Sed eccum Palaestrionem, stat cum milite:
Oratio alio mihi demutanda est mea.
Mulier profecto nata est ex ipsa mora:
Nam quaevis alia, quae mora est aeque, mora
Minor ea videtur, quam quae propter mulierem est.
Hoc adeo fieri credo consuetudine.
Nam ego hanc arcesso Philocomasium. Sed fores
Pultabo. Heus, ecquis hic est?

PALAESTRIO.

Adulescens, quid est?
Quid tu ais? quid pultas?

PLEV-

PLEVSIDES.

Philocomasium quaerito:
A matre illius venio. Si itura est: eat.
Omnis moratur: navim cupimus solvere.

PYRGOPOLINICES.

Iamdudum res parata est. Heus, Palaestrio,
Aurum, ornamenta, vestem, pretiosa omnia,
Duc adiutores tecum ad navim qui ferant.
Omnia cònposita sunt, quae donavi, ut ferat.

PALAESTRIO.

Eo.

PLEVSIDES.

Quaeso hercle, propera!

PYRGOPOLINICES.

Non morabitur.
Quid istuc, quaeso? quid oculo factum est tuo?

PLEVSIDES.

Habeo equidem hercle oculum.

PYRGOPOLINICES.

At laevum dicod.

PLEVSIDES.

Eloquar.
Maris causa hercle istoc ego oculo utor minus:
Nam si a mare abstinuissem, tamquam hoc uterer.
Sed nimis morantur me diu.

PYRGOPOLINICES.

Eccos, exeunt.

PALAESTRIO. PHILOCOMASIVM. PLEVSIDES. PYRGOPOLINICES.

PALAESTRIO.

Quid modi flendo, quaeso, hodie facies?

PHILOCOMASIVM.

Quid ego ni fleam? t. t. c. IV, 7.
Vbi pulcerrume egi aetatem, inde abeo.

PALAESTRIO.

Viden' hominem tibi,
Qui a matre et sorore venit?

PHILOCOMASIVM.

Video.

PYRGOPOLINICES.

Audin', Palaestrio?

PALAESTRIO.

Quid vis?

PYRGOPOLINICES.

Quin tu intus iube ecferri omnia, isti quae dedi.

PLEVSIDES.

Philocomasium, salve.

PHILOCOMASIVM.

Et tu salve.

PLEVSIDES.

Materque et soror
Dicere iusserunt salutem me tibi.

PHILOCOMASIVM.

Salvae sient.

PLEVSIDES.

Orant te, ut eas, ventus operam dum dat: ut velum explicent.
Nam matri oculi si valerent: mecum venisset simul.

PHILOCOMASIVM.

Ibo, quamquam invita facio. — Inpietas scit. Haha!

PLEVSIDES.

Nunc sapis.

PYRGOPOLINICES.

Si non mecum aetatem egisset: hodie stulta viveret.

PHILOCOMASIVM.

Istuc cruoior, a viro me tali abalienarier:
Nam tu quamvis potis es facere uti fluat facetiis,
Et quia tecum eram, propterea ab animo eram ferocior;
Eam nobilitatem amittundam video.

PYRGOPOLINICES.

Nimium haec flet.

PHILOCOMASIVM.

Nequeo, t. t,
Te quom video.

PALAESTRIO.

Habe bonum animum.

PHILOCOMASIVM.

Scio ego, ecquid doleat mihi!

PALAESTRIO.

Nam nil miror, si lubenter, Philocomasium, hic eras:
Forma hic huius, mores, virtus, animum attinuerunt tuom.
Quin ego servos, quando adspicio hunc, lacrumo: quia deiungimur.

PHILOCOMASIVM.

Obsecro, licet conplecti, priusquam proficisco?

PYRGOPOLINICES.

Licet.

PHILOCOMASIVM.

O mei oculi! O mi anime!

PALAESTRIO.

Obsecro, tene mulierem,
Ne adfligatur.

PYRGOPOLINICES.

Qui istuc?

PALAESTRIO.

Quia, postquam abs te abit, animo male
Factum est huic repente miserae.

PYRGOPOLINICES.

Adcurrite intro! ecferte aquam!

PALAESTRIO.

Nihil aquam moror.

PYRGOPOLINICES.

Cur?

PALAESTRIO.

Malo merum. Ne tu interveneris,
Quaeso, dum resipiscit.

PYRGOPOLINICES.

Capita inter se nimis nexa hice habent.
Non placet. — Labra ab labellis fer mihi, si audes!
Age, malum!

PLEVSIDES.

Tentabam, spiraret, an non.

PYRGOPOLINICES.

Aurem admotam oportuit.

PLEVSIDES.

Sin magis vis: ambo mittam.

PYRGOPOLINICES.

Nolo; retineas.

PALAESTRIO.

Fleo miser.

PYRGOPOLINICES.

Exite atque ecferte huc intus omnia, isti quae dedi!

PALAESTRIO.

Etiam nunc saluto te, Lar familiaris, priusquam eo!
Conservi conservaeque omnes, bene valete et vivite!
Bene, quaeso, inter vos dicatis et mihi absenti tamen.

PYRGOPOLINICES.

Age, Palaestrio, bono animo es!

PALAESTRIO.

Heu heu, nequeo, quin fleam,
Quom abs ted abeam.

PYRGOPOLINICES.

Aequo fer animo.

PALAESTRIO.

Scio ego, quid doleat mihi.

PHILOCOMASIVM.

Sed quid hoc? quae res? quid video? Lux, salve!

PLEVSIDES.

Iam resipisti? as. ex t. d. et i. d. c.

PHILOCOMASIVM.

Obsecro, quem amplexa sum hominem? Perii, sumne ego apud me?

PLEVSIDES.

Ne time, voluptas mea! t. d. c.

PYRGOPOLINICES.

Quid istuc est negotid?

PALAESTRIO.

Animus hanc modo hic reliquerat,
Metuoque et timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis.

PYRGOPOLINICES.

Quid id est?

PALAESTRIO.

Nos secundum ferri nunc per urbem haec omnia:
Ne quis hoc tibi vitio vortat.

PYRGOPOLINICES.

Mea, non aliorum, dedi.
Parvi ego alios facio. Agite, ite cum dis benevolentibus!

PALAESTRIO.

Tua ego hoc causa dico.

PYRGOPOLINICES.

Credo.

PALAESTRIO.

Iam vale.

PYRGOPOLINICES.

Et tu bene vale.

PALAESTRIO.

Ite cito. Iam ego adsequar vos: cum hero paucula eloquar.
Quamquam alios fideliores semper habuisti tibi,
Quam me: tam tibi habeo magnas gratias rerum omnium;
Et, si ita sententia siet, tibi servire mavelim
Multo, quam alii libertus esse.

PYRGOPOLINICES.

Habeto animum bonum!

PALAESTRIO.

Hei mihi, quom venit in mentem, ut mores mutandi sient:
Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.

PYRGOPOLINICES.

Fac, sis, frugi.

PALAESTRIO.

Iam non possum; amisi omnem lubidinem.

PYRGOPOLINICES.

I, sequere illos! ne morere!

PALAESTRIO.

Bene vale.

PYRGOPOLINICES.

Et tu bene vale.

PALAESTRIO.

Quaeso, ut memineris: si forte liber fieri occeperim,
Mittam nuntium ad te: ne me deseras.

PYRGOPOLINICES.

Non est meum.

PALAESTRIO.

Cogitato identidem, tibi quam fidelis fuerim.
Si id facies: tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.

PYRGOPOLINICES.

Scio et perspexi saepe; verum quom antehac, tum hodie maxume.

PALAESTRIO.

Scis? Imo hodie verum factum faxo post dices magis.

PYRGOPOLINICES.

Vix reprimor, quin te manere iubeam.

PALAESTRIO.

Cave istuc feceris:

Dicent te mendacem nec verum esse, fide nulla esse te;
Dicant, servorum praeter med esse fidelem neminem.
Nam si honeste censeam te facere posse: suadeam;
Verum non potest: cave faxis.

PYRGOPOLINICES.

Abi; iam patiar, quidquid est.

PALAESTRIO.

Bene vale igitur.

PYRGOPOLINICES.

Ire meliust strenue.

PALAESTRIO.

Etiam nunc vale.

PYRGOPOLINICES.

Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servom pessumum;
Eum fidelem mi esse invenio. Quom egomet mecum cogito:
Stulte feci, qui hunc amisi. Ibo hinc intro nunc iam
Ad amores meos. At sensim hinc sonitum fecerunt fores.

PVER. PYRGOPOLINICES.

PVER.

Ne me moneatis: memini ego officium meum. i. s. IV, 8.
Ego iam conveniam illunc! Vbiubi est gentium:
Investigabo; operai non parcam meae.

PYRGOPOLINICES.

Me quaerit illic: ibo puero huic obviam.

PVER.

Ehem, te quaero. Salve, vir lepidissume,
Cumulate commoditate, praeter ceteros
Duo di quem curant!

PYRGOPOLINICES.

Qui duo?

PVER.

Mars et Venus.

PYRGOPOLINICES.

Facetum puerum!

PVER.

Intro ted ut eas obsecrat:
Te volt, te quaerit, teque exspectans deperit.
Amanti fer opem! Quid stas? quin intro is?

PYRGOPOLINICES.

Eo. —

PVER.

Ipsus sese illic iam inpedivit in plagas!
Paratae insidiae sunt; stat in statu senex:
Vt adoriatur moechum, qui forma est ferox,
Qui omnis amare sese, quaeque adspexerit,
Credit; eum oderunt qua viri, qua mulieres.
Nunc in tumultum ibo: intus clamorem audio.

PERIPLECTOMENES. PYRGOPOLINICES. CARIO. SCELEDRVS.

PERIPLECTOMENES.

Ducite istum! Si non sequitur: rapite sublimem foras! t. 1. c. V.
Facite eum, inter terram ac coelum uti siet! discindite!

PYRGOPOLINICES.

Obsecro hercle, Periplectomene, te!

PERIPLECTOMENES.

Nequidquam hercle obsecras.
Vide, ut istic tibi sit acutus, Cario, culter probe.

CARIO.

Quin iamdudum gestit, moecho hoc abdomen adimere:
Vt faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.

PYRGOPOLINICES.

Perii!

CARIO.

Haud etiam; numero hoc dicis. — Iam nunc in hominem involo?

PERIPLECTOMENES.

Imo etiam prius verberetur fustibus.

CARIO.

Multum quidem.

PERIPLECTOMENES.

Cur es ausus subagitare alienam uxorem, inpudens?

PYRGOPOLINICES.

Ita me di ament, ultro ventum est ad me.

PERIPLECTOMENES.

Mentitur: feri!

PYRGOPOLINICES.

Mane, dum narro.

PERIPLECTOMENES.

Quid cessatis?

PYRGOPOLINICES.

Non licet mihi dicere?

PERIPLECTOMENES.

Dic.

PYRGOPOLINICES.

Oratus sum advenire ad te huc.

PERIPLECTOMENES.

Quare ausus? Hem tibi!

PYRGOPOLINICES.

Oiei, satis sum verberatus! Obsecro!

CARIO.

Quam mox seco?

PERIPLECTOMENES.

Vbi lubet, distennite hominem divorsum et dispennite.

PYRGOPOLINICES.

Obsecro hercle te, mea verba ut audias, priusquam secat!

PERIPLECTOMENES.

Loquere, nondum nihili factus.

PYRGOPOLINICES.

Viduam esse censui;
Itaque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi.

PERIPLECTOMENES.

Iura, te non nocitum iturum esse homini de hac re nemini,

Quod tu hodie hic verberatus aut quod verberabere,
Si te salvom hinc mittemus, Venerium nepotulum.

PYRGOPOLINICES.

Iuro per Idalien et Martem, me nociturum nemini,
Quod ego hic hodie vapulo; sed mihi id aeque factum arbitror;
Et si intestatus non abeo hihc: Bene agitur pro noxia.

PERIPLECTOMENES.

Quid, si id nón faxis?

PYRGOPOLINICES.

Vt vivam semper intestabilis.

CARIO.

Verberetur etiam; postibi amittundum censeo.

PYRGOPOLINICES.

Di tibi benefaciant semper, quom advocatus mihi bene es!

CARIO.

Ergo des minam auri nobis.

PYRGOPOLINICES.

Quamobrem?

CARIO.

Salvis testibus
Vt ted hodie hinc amittamus, Venerium nepotulum.
Aliter hinc a nobis, ne sis frustra . . . .

PYRGOPOLINICES.

Dabitur.

CARIO.

Mage sapis.
De tunica et chlamyde et machaera ne quid speres: non feres.
Verberone etiam, an im amittis?

PYRGOPOLINICES.

Mitis sum equidem fustibus.

Obsecro vos!

PERIPLECTOMENES.

Solvite istum.

PYRGOPOLINICES.

Gratias habeo tibi.

PERIPLECTOMENES.

Posthac si prehendero ego ted hic: arcebo testibus.

PYRGOPOLINICES.

Causam haud dico.

PERIPLECTOMENES.

Eamus intro, Cario.

PYRGOPOLINICES.

Servos meos

Eccos video. Philocomasium iam profecta est? dic mihi.

SCELEDRVS.

Iamdudum.

PYRGOPOLINICES.

Hei mihi!

SCELEDRVS.

Mage dicas, si scias, quod ego scio:

Namque illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.

PYRGOPOLINICES.

Quis erat igitur?

SCELEDRVS.

Philocomasio amator.

PYRGOPOLINICES.

Qui tu scis?

SCELEDRVS.

Scio:

Nam postquam exierunt porta, nil cessarunt eloco
Osculari atque amplexari inter se.

PYRGOPOLINICES.

Vae misero mihi!
Verba mihi data esse video. Scelus viri Palaestrio!
Is me in hanc inlexit fraudem.

SCELEDRVS.

Iure factum iudico.
Si sic aliis moechis fiat: minus hic moechorum siet;
Mage metuant, minus has res studeant.

PYRGOPOLINICES.

Eamus ad me.

CANTOR.

Plaudite.

MOSTELLARIA.

ARGV

ARGVMENTVM.

Manumisit emtos suos amores Philolaches,
Omnemque absente rem suo absumit patre.
Senem, ut revenit, ludificatur Tranio:
Terrifica monstra ait videri in aedibus,
Et inde pridem emigratum. Intervenit
Lucripeta foenus foenerator postulans,
Ludusque rursum fit senex: nam mutuum
Acceptum dicit pignus emtis aedibus.
Requirit, quae sint. Ait, vicini proxumi.
Inspectat illas; post se derisum dolet;
Ab sui sodale gnati exoratur tamen.

DRAMATIS PERSONAE.

TRANIO.
GRVMIO.
PHILOLACHES.
PHILEMATIVM.
SCAPHA.
CALLIDAMATES.
DELPHIVM.
THEVROPIDES.
SIMO.
DANISTA.
PHANISCVS.
SERVOS ALIVS.
PVER.

GRVMIO. TRANIO.

GRVMIO.

Exi e culina, sis, foras mastigia, i. s. I, 1.
Qui mi inter patinas exhibes argutias!
Egredere, herilis pernicies, ex aedibus!
Ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probe!
Exi, inquam: nidorem excipis. Nam quid lates?

TRANIO.

Quid tibi, malum, hic ante aedis est clamatio?
An ruri censes te esse? Abscede ab aedibus!
Abi rus! abi dierecte! abscede ab ianua!
Hem! Hoccine volebas?

GRVMIO.

Perii, cur me verberas?

TRANIO.

Quia vivis.

GRVMIO.

Patiar. Sine modo adveniat senex!
Sine modo venire salvom, quem absentem comes!

TRANIO.

Nec verisimile loquere nec verum, frutex,
Comesse quemquam ut quisquam absentem possiet.

GRVMIO.

Tu urbanus vero scurra, deliciae popli!
Rus mihi tu obiectas? Sane credo, Tranio,
Quod — te in pistrinum scis actutum tradier.
Cis hercle paucas tempestates, Tranio,

Augebis ruri numerum, genus ferratile.
Nunc, dum lubet licetque, pota, perde rem,
Conrumpe filium herilem, adulescentem optumum.
Dies noctisque bibite, pergraecamini!
Amicas emite, liberate! pascite
Parasitos! obsonate pollucibiliter!
Haeccine mandavit tibi, quom peregre hinc it, senex?
Hoccine modo hic rem curatam obfendet suam?
Hoccine boni esse officium servi existumas,
Vt heri sui conrumpat et rem et filium?
Nam ego illunc conruptum duco, quom his factis studet.
Quo nemo adaeque iuventute ex omni Attica
Antehac est habitus parcus nec mage continens,
Is nunc in aliam partem palmam possidet.
Virtute id factum tua et magisterio tuo.

TRANIO.

Quid tibi, malum, me aut, quid ego agam, curatio est?
An ruri, quaeso, non sunt, quos cures, boves?
Lubet potare, amare, scorta ducere.
Mei tergi facio haec, non tui, fiducia.

GRVMIO.

Quam confidenter loquitur! fue!

TRANIO.

At te Iupiter
Dique omnes perdant: ita obolivisti allium,
Germana inluvies, rusticus, hircus, hara suis,
Canes capro conmista!

GRVMIO.

Quid vis fieri?

Non omnes possunt olere unguenta exotica,
Si tute oles, nec superior adcumbere,
Neque tam facetis, quam tu, vivere victibus.
Tu tibi istos habeas turtures, piscis, avis;
Sine alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus; ego miser. Patiunda sunt.
Meum bonum me, te tuom maneat malum.

TRANIO.

Quasi invidere mihi hoc videre, Grumio,
Quia mihi bene est et tibi male est. Dignissumum est.
Decet me amare et te bubulcitarier;
Me victitare pulcre, te miseris modis.

GRVMIO.

O carnuficium cribrum quod credo fore:
Ita te forabunt patibulatum per vias,
[Stimulis, si huc reveniat senex.]

TRANIO.

Qui scis, an tibi istuc prius eveniat, quam mihi?

GRVMIO.

Quia nunquam merui: tu meruisti et nunc meres.

TRANIO.

Orationis operam conpendiface,
Nisi te mala re magna mactari cupis.

GRVMIO.

Ervom daturin' estis, bubus quod feram?
Date aes, si ne estis. Agite, porro pergite,
Quomodo occepistis! bibite! pergraecamini!
Este! ecfercite vos! saginam caedite!

TRANIO.

Tace atque abi rus! ego ire in Piraeum volo
In vesperum parare piscatum mihi.

Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam adferat.
Quid est? quid tu me nunc obtuere, furcifer?

GRVMIO.

Pol tibi istuc credo nomen actutum fore.

TRANIO.

Dum interea sic sit; istuc „actutum“ sino.

GRVMIO.

Ita est; sed unum hoc scito: nimio celerius
Venire molesta, quam illud, quod cupide petas.

TRANIO.

Molestus ne sis hercle nunc, teque amove!
Mihi praeterhac, ne tu erres, non facies moram.

GRVMIO.

Satin' abiit neque, quod dixi, flocci existumat!
Proh di inmortales, obsecro vostram fidem,
Facite, huc ut redeat noster quam primum senex,
Triennium qui iam hinc abest, priusquam omnia
Periere, et aedis et ager! qui nisi huc redit,
Paucorum mensum sunt relictae reliquiae.
Nunc rus abibo: nam eccum herilem filium
Video conruptum ex adulescente optumo.

PHILOLACHES.

Recordatus multum et diu cogitavi, b. t. I, 2.
Argumentaque in pectus multa institivi
Ego atque in meo corde, si est quod mihi cor;
Eam rem volutavi et diu disputavi,
Hominem quoius re, quando natust, b. tr.
Similem esse arbitrarer simulacrumque habere. b. t.

Id reperi iam exemplum. b. d.
Novarum aedium esse arbitror similem ego hominem, b. t.
Quando hic natus est. Ei re argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur verisimile vobis;
At ego id faciam ita esse, ut credatis. b. tr.
Profecto esse ita, ut praedico, vero vincam. b. t.
Atque hoc vosmetipsi, scio, proinde uti nunc
Ego esse autumo, quando dicta audietis,
Haud aliter dicetis. b. d.
Auscultate, argumenta dum dico ad hanc rem: b. t.
Simul gnarures vos volo rem esse mecum.
Aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae,
Factaeque examussim: b. t.
Laudant fabrum atque aedis probant sibi quisque; inde exemplum expetunt i. t.
Sibi quisque simile, suo ipsius sumtu; operae non parcunt suae.
Atque ubi illo inmigrat nequam homo indiligens c. t.
Cum pigra familia, inmundus, instrenuos:
Hic iam aedibus vitium additur, bonae quom curantur male. i. t.
Atque illuc saepe fit: tempestas venit, co. ex c. d. et t. h.
Confragit tegulas imbricesque: ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt. c. t.
Venit imber, lavit parietes: perpluont
Tigna; putrefacit aër operam fabri:
Nequior factus iam est usus aedium; co. ex c. d. et t. h.
Atque haud fabri culpa. Sed magna pars co. ex b. d. et i.

Morem hunc induxerunt: Si quid numo sarciri potest, t. t. c.
Vsque mantant neque id faciunt, donicum co. ex c. d. et t. h.
Parietes ruont: aedificantur aedes totae denuo. as. ex t. d. et i. d.
Haec argumenta aedificiis dixi ego; nunc etiam volo t. t. c.
Dicere, ut homines aedium esse similis arbitremini.
Primumdum parentes fabri liberum sunt b. t.
Et fundamentum substruont liberorum;
Extollunt, parant, sedulo in firmitatem: ut
Et in usum boni sint et in speciem populo.
Sibique aut materiae ne parcunt, b. tr.
Nec sumtus sibi sumtui esse ducunt: co. ex b. d. et i. h.
Expoliunt, docent literas, iura, leges, b. t.
Suo sumtu et labore; b. d.
Nituntur, ut alii sibi esse illorum similis expetant. i. t.
Ad legionem quom itant, adminiclum eis danunt c. t.
Tum iam aliquem cognatum suom. Vnum ubi emeritum est stipendium: i. t.
Igitur tum specimen cernitur, quo eveniat aedificatio.
Eatenus abeunt a fabris? i. d.
Namque ad illud ego frugi usque et probus fui, co. ex c. d. et t. h.
In fabrorum potestate dum fui.
Posteaquam inmigravi ingenium in meum:

Perdidi operam fabrorum eloco oppido.
Venit ignavia: ea mihi tempestas fuit; c. t.
Ea mi adventu suo grandinem, imbrem, attulit
Ac verecundiam mi et virtutis modum
Deturbavit detexitque a med eloco.
Postilla obtegere eam neglegens fui: co. ex c. d. et t. h.
Continuo pro imbre amor advenit; is usque in pectus permanavit, t. t.
Permadefecit cor meum. t. d. e.
Nunc simul res, fides, fama, virtus, decus, c. t.
Deseruerunt: ego sum in usum factus nimio nequior, t. t. c.
Atque edepol (ita haec tigna putent humide) non mihi sarcire t. t.
Videor posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant, quin
Cum fundamento perierint, nec quisquam esse queat auxilio.
Cor dolet, quom scio, ut nunc sum atque ut fui, c. t.
Quo neque industrior de iuventute erat!
Arte gymnastica, discod, hastis, pila,
Cursud, armis, equo, victitabam volup;
Parsimonia et duritia disciplinae aliis eram: t. t. c.
Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi.
Nunc, postquam sum nihili, id vero meopte ingenio reperi.

PHILEMATIVM. SCAPHA. PHILOLACHES.

PHILEMATIVM.

Iampridem ecastor frigida non lavi mage lubenter, i. t. c. I, 3.
Nec, quom me melius, mea Scapha, rear esse defecatam.

SCAPHA.

Eventus rebus omnibus velut horno messis magna
Fuit.

PHILEMATIVM.

Quid ea messis attinet ad meam lavationem?

SCAPHA.

Nihilo plus, quam lavatio tua ad messim.

PHILOLACHES.

O Venus venusta,
Haec illa est tempestas mea, mihi quae modestiam omnem
Detexit, tectus qua fui, quam mihi Amor et Cupido
In pectus perpluit meum; neque iam usquam obtegere possum.
Madent iam in corde parietes: periere haec oppido aedes.

PHILEMATIVM.

Contempla, amabo, mea Scapha, satin' haec me vestis deceat.
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.

SCAPHA.

Quid tu te exornas moribus lepidis, quom lepida tute es?

Non vestem amator mulieris amat, sed vestis fartum.

PHILOLACHES.

Ita me di ament, lepida est Scapha! sapit scelesta multum!
Vt lepide res omnis tenet sententiasque amantum!

PHILEMATIVM.

Quid nunc?

SCAPHA.

Quid est?

PHILEMATIVM.

Quin me adspice et contempla, ut haec decet me.

SCAPHA.

Virtute formae id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.

PHILOLACHES.

Ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego hoc die aliqui
Neque patiar, te istanc gratiis laudasse, quae placet mi.

PHILEMATIVM.

Nolo ego, te adsentari mihi.

SCAPHA.

Nimis tu quidem stulta es mulier.
Eho, mavis vituperarier falso, quam vero extolli?
Equidem pol vel falso tamen laudari multo malo,
Quam vero culpari aut meam speciem alios inridere.

PHILEMATIVM.

Ego verum amo; verum volo dici mihi; mendacem odi.

SCAPHA.

Ita tu me ames, ita Philolaches tuos te amet, ut venusta es!

PHILOLACHES.

Quid ais, scelesta? quomodo adiurasti? ita ego istam amarim?
Quid „ita haec me“? id cur non additum est? Infecta dona facio.
Peristi! quod promiseram tibi dona, perdidisti!

SCAPHA.

Equidem pol miror, tam cate te eductam et tam bene doctam
Nunc stultam stulte facere.

PHILEMATIVM.

Quin mone, quaeso, si quid erro.

SCAPHA.

Tu ecastor erras, quae quidem illum exspectes unum atque illi
Morem praecipue sic geras atque alios adsperneris.
Matronae, non meretricium, est, unum inservire amantem.

PHILOLACHES.

Proh Iupiter, nam quod malum vorsatur meae domi illud?
Di deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant,
Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu!

PHILEMATIVM.

Nolo ego mihi male te, Scapha, praecipere.

SCAPHA.

Stulta es plane,

Quae illunc tibi aeternum putes fore amicum et benevolentem.
Moneo ego te: te ille deseret aetate et satietate.

PHILEMATIVM.

Non spero.

SCAPHA.

Insperata accidunt magis saepe, quam, quae speres.
Postremo, si dictis nequis perduci, ut vera haec credas
Mea dicta: ex factis nosce rem: vide, quae sim et quae fui ante.
Nihili ego, quam nunc tu, sum amata atque uni gessi morem,
Qui pol me, ubi aetate hoc caput colorem conmutavit,
Reliquit deseruitque me. Tibi idem futurum credo.

PHILOLACHES.

Vix conprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici!

PHILEMATIVM.

Solam illi soli censeo me esse oportere obsequentem:
Solam ille me soli sibi s o l u s suo liberavit.

PHILOLACHES.

Proh di inmortales, mulierem lepidam et pudico ingenio!
Bene hercle factum et gaudeo, mihi nil esse huius causa!

SCAPHA.

Inscita ecastor tu quidem es.

PHILEMATIVM.

Quapropter?

SCAPHA.

Quae istuc cures,
Vt te ille amet.

PHILEMATIVM.

Cur, obsecro, non curem?

SCAPHA.

Libera es iam
Tu; iam, quod quaerebas, habes: ille nisi amabit ultro,
Id, tuo pro capite quod dedit, perdiderit, tantum argenti.

PHILOLACHES.

Perii hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso!
Illa hanc conrumpit mulierem malesuada nunc vitilena.

PHILEMATIVM.

Nunquam illi ego possum gratiam referre, ut meritust de me,
Scapha: id tu mihi ne suadeas, illum ut minoris pendam.

SCAPHA.

At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum,
Dum tibi nunc haec aetatula est, in senecta male querere.

PHILOLACHES.

In anginam ego nunc me velim vorti: ut veneficae illi
Faucis prehendam atque enicem scelestam stimulatricem!

PHILEMATIVM.

Eundem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut inpetravi,
Atque olim, priusquam id extudi, quom illi subblandiebar.

PHILOLACHES.

Divi me faciant, quod volunt, nisi ob istam orationem
Te liberasso denuo et nisi Scapham enicasso!

SCAPHA.

Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita:
Soli gerundum censeo morem et capiundos crines.

PHILEMATIVM.

Vt fama est homini, exin solet pecuniam invenire;
Ego si bonam famam mihi servasso: sat ero dives.

PHILOLACHES.

Si quidem hercle vendundum est: pater venibit multo potius,
Quam te me vivo unquam sinam egere aut mendicare.

SCAPHA.

Quid illis futurum est ceteris, qui te amant?

PHILEMATIVM.

Magis amabunt,
Quom me videbunt gratiam referre rem ferenti.

PHILOLACHES.

Vtinam meus nunc mortuos pater ad me nuntietur:
Vt ego exheredem meis bonis me faciam atque haec sit heres!

SCAPHA.

Iam ista quidem absumta res erit: dies noctisque estur, bibitur,
Nec quisquam parsimoniam adhibet; sagina plane est.

PHILOLACHES.

In te hercle certum est principe, ut sim parcus, experiri:
Nam neque edes quidquam neque bibes apud me his decem diebus.

PHILEMATIVM.

Si quid tu in illum bene voles loqui: id loqui licebit;
Nec recte si illi dixeris: iam ecastor vapulabis.

PHILOLACHES.

Edepol Iovi summo si vivo argento sacruficassem,
Pro illius capite quod dedi: nunquam aeque id bene locassem.
Vt videas, eam medullitus me amare! Oh, probus homo sum:
Quae pro me causam diceret, patronam liberavi.

SCAPHA.

Video, te nihili pendere prae Philolache omnis homines:
Nunc, ne eius causa vapulem, tibi potius adsentabor,
Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.

PHILEMATIVM.

Cedo mihi speculum et cum ornamentis arculam actutum, Scapha: t. t. c.

Ornata

Ornata ut siem, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.

SCAPHA.

Mulier, quae se suamque aetatem spernit, speculo ei usus est;
Quid opust speculo tibi, quae tute speculo speculum es maxumum?

PHILOLACHES.

Ob istuc verbum, ne nequidquam, Scapha, tam lepide dixeris, i. t.
Dabo aliquid hodie peculi — tibi, Philematium mea. t. t. c.

PHILEMATIVM.

Suo quidque loco vide. Capillus satis conpositust commode?

SCAPHA.

Vbi tu commoda es: capillum commodum esse credito.

PHILOLACHES.

Vah, quid illa pote peius quidquam muliere memorarier?
Nunc adsentatrix scelesta est; dudum advorsatrix erat.

PHILEMATIVM.

Cedo cerussam.

SCAPHA.

Quid cerussa opus nam?

PHILEMATIVM.

Qui malas oblinam.

SCAPHA.

Vna opera ebur atramento candefacere postules.

PHILOLACHES.

Lepide dictum de atramento atque ebore! Euge, adplaudo, Scapha!

PHILEMATIVM.

Tum tu igitur cedo purpurissum.

SCAPHA.

Non do: scita es tu quidem.

Nova pictura interpolare vis opus lepidissumum? i. t.

Non istanc aetatem oportet pigmentum ullum attingere, t. t. c.

Neque cerussam neque μέλαν neque ullam aliam obfuciam.

Cape igitur speculum.

PHILOLACHES.

Hei mihi misero: savium speculo dedit.

Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo diminuam caput!

SCAPHA.

Linteum cape atque exterge tibi manus.

PHILEMATIVM.

Quid ita, obsecro?

SCAPHA.

Vt speculum tenuisti, metuo, ne oleant argentum manus:

Ne usquam argentum te accepisse suspicetur Philolaches.

PHILOLACHES.

Non videor vidisse lenam callidiorem ullam alteram.

Vt lepide atque astute in mentem venit de speculo malae!

PHILEMATIVM.

Etiamne unguentis unguendam censes?

SCAPHA.

Minume feceris.

PHILEMATIVM.

Quapropter?

SCAPHA.

Quia ecastor mulier recte olet, ubi nil olet.
Nam istaec veteres, quae se unguentis unctitant, interpoles,
Vetulae, edentulae, quae vitia corporis fuco obculunt,
Vbi sudor cum unguentis sese consociavit: eloco
Itidem olent, quasi cum una multa iura confudit cocus:
Quid oleant, nescias, nisi id unum, uti male olere intellegas.

PHILOLACHES.

Vt perdocte cuncta callet! nihil hac docta doctius!
Verum illuc et maxuma adeo pars vostrorum intellegit,
Quibus anus domi sunt uxores, quae vos dote meruerunt.

PHILEMATIVM.

Agedum, contempla aurum et pallam, satin' haec me deceat, Scapha.

SCAPHA.

Non me curare istud oportet.

PHILEMATIVM.

Quem, obsecro, igitur?

SCAPHA.

Eloquar.
Philolachem: is ne quid emat, nisi, quod tibi placere censeat.
Nam amator meretricis mores sibi emit auro et purpura.

Quid opus est, quod suom esse nolit, eii ultro ostentarier?
Purpura aetas occultanda est; aurum turpe mulieri.
Pulcra mulier nuda erit, quam purpurata, pulcrior:
Postea nequidquam exornata est bene, si morata est male:
Pulcrum ornatum turpes mores peius coeno conlinunt.
Nam si pulcra est: nimis ornata est.

PHILOLACHES.

Nimis diu abstineo manum.
Quid hic vos duae agitis?

PHILEMATIVM.

Tibi me exorno ut placeam.

PHILOLACHES.

Ornata es satis. i. t.
Abi tu hinc intro atque ornamenta haec aufer. — Sed, voluptas mea, t. t. c.
Mea Philematium, potare tecum conlubitum est mihi.

PHILEMATIVM.

Lubet et mihi tecum edepol: nam quod tibi lubet, idem mihi lubet,
Mea voluptas.

PHILOLACHES.

Hem, istuc verbum vile est viginti minis!

PHILEMATIVM.

Cedo, amabo, decem. Bene emtum tibi dare hoc verbum volo.

PHILOLACHES.

Etiam nunc decem minae apud te sunt: vel rationem puta:
Triginta minas pro capite tuo dedi . . . .

PHILEMATIVM.

Cur exprobras?

PHILOLACHES.

Egone id exprobrem? Quin mihimet cupio id opprobrarier,
Nec quidquam argenti locavi iamdiu usquam aeque bene.

PHILEMATIVM.

Certe ego, quod te amo, operam nusquam melius potui ponere.

PHILOLACHES.

Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos convenit:
Tu me amas, ego te amo; merito id fieri uterque existumat.
Haec qui gaudent: gaudeant perpetuo suo semper bono;
Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.

PHILEMATIVM.

Age, adcumbe igitur. — Cedo aquam manibus, puer. Adpone hic mensulam. i. t.
Vide, tali ubi sint. — Vin' unguenta?

PHILOLACHES.

Quid opust? Cum stacta adcubo.
Sed estne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amica sua?
Is est! Callidamates cum amica, eccum, incedit. Euge, oculus meus,
Conveniunt manuplares, eccos; praedam participes petunt. t. t. c.

CALLIDAMATES. DELPHIVM. PHILOLACHES. PHILEMATIVM.

CALLIDAMATES.

Advorsum veniri mihi ad Philolachem co. ex b. d. et i. h. I, 4.
Volo temperi. Audi! Hem, tibi imperatum est.
Nam illi, ubi fui, inde ecfugi foras: ita me ibi male convivi t. t.
Sermonisque taesum est. Nunc comissatum ibo ad Philolachem, ubi nos
Hilaro ingenio et lepido accipiet. t. t.
Ecquid tibi videor ma-ma-madere? as. ex 2 i. h.

DELPHIVM.

Semper istoc modo moratos vita. Debebas . . . .

CALLIDAMATES.

Visne as. ex t. d. et i. d. c.
Ego te ac tute me amplectare? t. d.

DELPHIVM.

Si tibi cordi est facere, licet.

CALLIDAMATES.

Lepida es. co. ex e. d. et t.
Duce me amabo.

DELPHIVM.

Cave ne cadas! adsta! c. t. c.

CALLIDAMATES.

Ocellus's meus; tuos sum alumnus, mel meum. b. d. et i. d. br.

DELPHIVM.

Cave modo, ne in via prius adcumbas, co. ex c. d. et t.
Quam illi, ubi lectus est stratus, coïmus.

CALLIDAMATES.

Sine, sine, cadere me.

DELPHIVM.

Sino.

CALLIDAMATES.

Sed et hoc, quod mi in manu est. as. ex t. d. et i. d. br.

DELPHIVM.

Si cades: non cades, quin cadam tecum. c. t. c.
Iacentis tollet postea nos ambos aliquis. i. tr. h.
Madet homo.

CALLIDAMATES.

Tun' me ais ma-ma-madere? co. ex c. d. et t.

DELPHIVM.

Cedo manum: nolo equidem te adfligi.

CALLIDAMATES.

Hem, tene!

DELPHIVM.

Age, i simul.

CALLIDAMATES.

Quod ego eam, an scis? t. t.

DELPHIVM.

Scio.

CALLIDAMATES.

Venit in mentem modo: nempe domum eo comissatum. as. ex t. d. et i. d. c.

DELPHIVM.

Imo.

CALLIDAMATES.

Istuc quidem iam memini. t. d.

PHILOLACHES.

Num nevis obviam me his ire, anime mi? co. ex c. d. et t. h.
Illi ego ex omnibus optume volo.
Iam revortar.

PHILEMATIVM.

Diu est Iam id mihi.

CALLIDAMATES.

Ecqui hic est?

PHILOLACHES.

Adest.

CALLIDAMATES.

Eu, Philolaches, b. d.
Salve, amicissume mihi hominum omnium! co. ex e. d. et t. h.

PHILOLACHES.

Di te ament. Adcuba, c. d.
Callidamates. Vnde agis te?

CALLIDAMATES.

Vnde homo ebrius.

PHILOLACHES.

Probe. — as. ex t. d. et i. d. br.
Quin, amabo, adcubas, Delphium mea? co. ex c. d. et t. h,

CALLIDAMATES.

Date illi, quod bibat; dormiam ego iam. as. ex 2 i. h.

PHILOLACHES.

Non mirum aut novom quidpiam facit. as. ex 2 t. h.
Quid ego hoc faciam postea, mea?

DELPHIVM.

Sic sine eumpse.

PHILOLACHES.

Age tu, interim da ab t. t.
Delphio cito cantharum circum. t. d.

TRANIO. PHILOLACHES. CALLIDAMATES. DELPHIVM. PHILEMATIVM. PVER.

TRANIO.

Iupiter supremus summis opibus atque industriis t. t. c. II, 1.
Me perisse et Philolachetem cupit, herilem filium!
Occidit spes nostra! nusquam stabulum est confidentiae,
Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest:
Ita mali moeroris montem maxumum ad portum modo
Conspicatus sum: herus advenit peregre. Periit Tranio!
Ecquis homo est, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie sese excruciari meam vicem possit pati?
Vbi sunt isti plagipatidae, ferritribaces, viri,
Vel isti, qui trium numorum causa subeunt sub falas,
Vbi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent?
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit;

Sed ea lege, ut obligantur bis pedes, bis brachia;
Vbi id erit factum: a me argentum petito praesentarium.
Sed ego sumne ille infelix, qui non curro curriculo domum? i. t.

PHILOLACHES.

Adest, adest obsonium: eccum Tranio a portu redit.

TRANIO.

Philolaches!

PHILOLACHES.

Quid est?

TRANIO.

Et ego et tu....

PHILOLACHES.

Quid „et ego et tu“?

TRANIO.

Periimus! t. t. c.

PHILOLACHES.

Quid ita?

TRANIO.

Pater adest.

PHILOLACHES.

Quid ego ex ted audio?

TRANIO.

Absumti sumus!
Pater, inquam, tuos venit.

PHILOLACHES.

Vbi est is, obsecro te?

TRANIO.

Adest, adest!

PHILOLACHES.

Quis id ait? quis vidit?

TRANIO.

Egomet, inquam, vidi.

PHILOLACHES.

Vae mihi!

Quid ego ago?

TRANIO.

Nam quid tu, malum, me rogitas, quid agas?
Adcubas.

PHILOLACHES.

Tun' vidisti?

TRANIO.

Egomet, inquam.

PHILOLACHES.

Certe?

TRANIO.

Certe, inquam.

PHILOLACHES.

Occidi,

Si tu vera memoras!

TRANIO.

Quid mihi sit boni, si mentiar?

PHILOLACHES.

Quid ego nunc faciam?

TRANIO.

Iube haec hinc omnia amolirier.

Quis istic dormit?

PHILOLACHES.

Callidamates.

TRANIO.

Suscita istum, Delphium. i. t.

DELPHIVM.

Callidamates, Callidamates, vigila!

CALLIDAMATES.

Vigilo: cedo, ut bibam. t. t. c.

DELPHIVM.

Vigila: pater advenit peregre Philolachae.

CALLIDAMATES.

Valeat pater.

PHILOLACHES.

Valet illic quidem; at ego disperii!

CALLIDAMATES.

Disperisti? qui potest?

PHILOLACHES.

Quaeso edepol, exsurge: pater advenit.

CALLIDAMATES.

Tuos venit pater?

Iube abire rursum. Quid — quid illi reditio huc etiam fuit? i. t.

PHILOLACHES.

Quid ego agam? Pater hic iam obfendet miserum adveniens ebrium, t. t. c.
Aedis plenas convivarum et mulierum. Miserum est opus,
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis faucis tenet;
Sicut ego adventu patris nunc quaero, quid faciam miser.

TRANIO.

Ecce autem itidem hic deposivit caput et dormit. Suscita.

PHILOLACHES.

Etiam vigilas? Pater, inquam, aderit iam hic meus.

CALLIDAMATES.

Ain' tu? pater?
Cedo soleas mihi, ut arma capiam? Iam pol ego occidam patrem!

PHILOLACHES.

Perdis rem: tace. Amabo, abripite hunc intro actutum inter manus!

CALLIDAMATES.

Iam hercle ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis!

PHILOLACHES.

Perii!

TRANIO.

Habe bonum animum: ego istunc lepide medicabor metum.

PHILOLACHES.

Nullus sum!

TRANIO.

Taceas: ego, qui istaec sedem, meditabor tibi.
Satin' habes, si ego advenientem ita patrem faciam tuom,
Non modo ne introeat, verum etiam ut fugiat longe ab aedibus?
Vos modo hinc abite intro atque haec hinc propere amolimini.

PHILOLACHES.

Vbi ego ero?

TRANIO.

Tu? Vbi maxume vis esse: cum hac, cum istac eris.

DELPHIVM.

Quid, si igitur abeamus hinc nos?

TRANIO.

Non hoc longe, Delphium!
Nam metuis potare? Haud tantillo hac quidem causa minus.

PHILOLACHES.

Hei mihi, quam, istaec blanda dicta quo evenant, madeo metu!

TRANIO.

Potin', ut animo sis quieto et facias, quod iubeo?

PHILOLACHES.

Potest.

TRANIO.

Omnium primum, Philematium, intro abi, et tu, Delphium.

DELPHIVM.

Morigerae tibi erimus ambae.

TRANIO.

Ita ille faxit Iupiter!
Animum advorte nunc iam tu, quae volo adcurarier.
Omnium primumdum aedes iam fac obclusae sient.
Intus cave muttire quemquam siveris . . . .

PHILEMATIVM.

Curabitur.

TRANIO.

Tamquam si intus natus nemo in aedibus habitet . . . .

PHILOLACHES.

Licet.

TRANIO.

Neu responset quisquam, quando hasce aedis pultabit senex.

PHILOLACHES.

Numquid aliud?

TRANIO.

Clavim mi harunc aedium Laconicam
Iam iube ecferri intus: hasce ego aedis obcludam hinc foris.

PHILOLACHES.

In tuam custodiam me et spes meas trado, Tranio.

TRANIO.

Pluma haud interest, patronus an cliens propior siet
Homini, quoi nulla in pectore est audacia. i. s.
Nam quoivis, vel homini optumo vel pessumo,
Quamvis desubito facile est facere nequiter;
Verum id videndum est, id viri docti est opus,
Quae designatae nequitiae et factae sient,
Tranquille cunctae et ut proveniant sine malo:
Ne quid patiatur, quamobrem pigeat vivere:
Sicut ego ecficiam, quae facta hic turbabimus,
Profecto ut liqueant omnia et tranquilla sint,
Nec quidquam nobis pariant ex se incommodi.
Sed quid tu egrederis? perii! — Io, iamiam optume
Praeceptis paruit iste!

PVER.

Iussit maxumo
Opere orare, ut patrem aliquo absterreres modo,
Ne introiret aedis.

TRANIO.

Quin etiam illi hoc dicito:
Facturum me, ut ne etiam adspicere aedis audeat,
Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu.
Clavim cedo atque abi intro atque obclude ostium,

Et ego hinc obcludam. — Iube venire nunc iam!
Ludos ego hodie vivo praesenti hic seni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.
Concedam a foribus huc; hinc speculabor procul,
Vnde advenienti sarcinam inponam seni.

THEVROPIDES. TRANIO.

THEVROPIDES.

Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi, i. s. II, 2.
Quom med amisisti a te vix vivom modo!
Verum si posthac me pedem latum modo
Scies inposisse in undam: haud causa eloco est,
Quod nunc voluisti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te a me! Nunc iam post hunc diem,
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.

TRANIO.

Edepol, Neptune, peccavisti largiter,
Qui occasionem hanc amisisti tam bonam.

THEVROPIDES.

Triennio post Aegypto advenio domum.
Credo, exspectatus veniam familiaribus.

TRANIO.

Nimio edepol ille potuit exspectatior
Venire, qui te nuntiaret mortuom.

THEVROPIDES.

Sed quid hoc? Obclusa ianua est interdius.
Pultabo. Heus, ecquis istas aperit mihi foris?

TRANIO.

Quis homo est, qui nostras aedis accessit prope?

THEVROPIDES.

Meus servost hic quidem Tranio.

TRANIO.

O Theuropides,
Here, salve! salvom te advenisse gaudeo!
Vsquene valuisti?

THEVROPIDES.

Vsque, vt vides.

TRANIO.

Factum optume.

THEVROPIDES.

Quid vos? insanin' estis?

TRANIO.

Quidum?

THEVROPIDES.

Sic: quia
Foris ambulatis, natus nemo in aedibus
Servat, neque qui recludat, neque respondeat.
Pultando pene confregi hasce ambas.

TRANIO.

Eho,
An tu tetigisti has aedis?

THEVROPIDES.

Cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, pene confregi foris.

TRANIO.

Tetigistin'?

THEVROPIDES.

Tetigi, inquam, et pultavi.

TRANIO.

Vah!

THEVROPIDES.

Quid est?

TRANIO.

Male hercle factum!

THEVROPIDES.

Quid negoti est?

TRANIO.

Non potest
Dici, quam indignum facinus fecisti et malum.

THEVROPIDES.

Quid iam?

TRANIO.

Fuge, obsecro, atque abscede ab aedibus!
Fuge huc, fuge ad me propius! Tetigistin' foris?

THEVROPIDES.

Quomodo pultare potui, si non tangerem?

TRANIO.

Occidisti hercle . . . .

THEVROPIDES.

Quem mortalem?

TRANIO.

Omnis tuos.

THEVROPIDES.

Di te deaeque omnes faxint cum istoc omine....

TRANIO.

Metuo, te atque istos expiare ut possies . . . .

THEVROPIDES.

Quamobrem, aut quam subito rem mihi adportas novam?

TRANIO.

Et heus, iube illos illim, amabo, abscedere.

THEVROPIDES.

Abscedite.

TRANIO.

Aedis ne attigatis! Tangite
Vos quoque terram!

THEVROPIDES.

Obsecro hercle, quin eloquere rem?

TRANIO.

Quia septem menses sunt, quom in hasce aedis pedem
Nemo intro tetulit, semel ut emigravimus.

THEVROPIDES.

Eloquere, quid ita?

TRANIO.

Circumspicedum, num quis est,
Sermonem nostrum qui aucupet.

THEVROPIDES.

Tutum probe est.

TRANIO.

Circumspice etiam.

THEVROPIDES.

Nemo est: loquere nunc iam,

TRANIO.

Capitale factum est.

THEVROPIDES.

Quid id est? Non intellego.

TRANIO.

Scelus, inquam, factum est iamdiu antiquom et vetus;
Antiquom id adeo nos nunc factum invenimus.

THEVROPIDES.

Quid istuc scelesti est, aut quis id fecit? cedo.

TRANIO.

Hospes necavit hospitem captum manu;
Iste, ut ego opinor, qui has tibi aedis vendidit.

THEVROPIDES.

Necavit?

TRANIO.

Aurumque eii ademit hospiti,
Eumque hic defodit hospitem ibidem in aedibus.

THEVROPIDES.

Quapropter id vos factum suspicamini?

TRANIO.

Ego dicam: ausculta. Vti foris coenaverat
Tuos gnatus, postquam rediit a coena domum:
Abimus omnes cubitum, condormivimus.
Lucernam forte oblitus fueram extinguere:
Atque ille exclamat derepente maxumum.

THEVROPIDES.

Quis homo? an meus gnatus?

TRANIO.

Sic. Tace; ausculta modo.
Ait, venisse illum in somnis ad se mortuom.

THEVROPIDES.

Nempe ergo in somnis?

TRANIO.

Ita. Sed ausculta modo.
Ait illum hoc pacto sibi dixisse mortuom ....

THEVROPIDES.

In somnis?

TRANIO.

Mirum, quin vigilanti diceret,
Qui abhinc sexaginta annis occisus foret!
Interdum inepte stultus.

THEVROPIDES.

Taceo, Tranio.

TRANIO.

Sed ecce, quae ille: „Ego hospes sum Diapontius;
Hic habito; dedita haec mihi est habitatio:
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia praemature vita careo. Per fidem
Deceptus sum: hospes me hic necavit, isque me
Defodit insepultum clam ibidem in aedibus,
Scelestus, auri causa. Nunc tu hinc emigra:
Scelestae haec aedes, inpia est habitatio."
Quae hic monstra fiunt, anno vix possum eloqui.
St, st!

THEVROPIDES.

Quid, obsecro hercle, factum est?

TRANIO.

Concrepuit foris.
Hinc me percussit.

THEVROPIDES.

Guttam haud habeo sanguinis!
Vivom me arcessunt Acheruntem mortui!

TRANIO.

Perii, illice hodie hanc conturbabunt fabulam!
Nimis quam formido, ne manufesto hic me opprimat.

THEVROPIDES.

Quid tute tecum loquere?

TRANIO.

Abscede ab ianua.
Fuge, obsecro hercle!

THEVROPIDES.

Cur fugiam?

TRANIO.

Etiam tu fugis?

THEVROPIDES.

Nil ego formido: pax mihi est cum mortuis. —
Heus, Tranio!

TRANIO.

Non me adpellabis, si sapis:
Nil ego conmerui neque istas percussi foris.

THEVROPIDES.

Quaeso, quid segrex? quae res te agitat, Tranio?
Quicum istaec loquere?

TRANIO.

An, quaeso, tu adpellaveras?
Ita me di amabunt, mortuom illum credidi
Expostulare, quia percussissem foris.
Sed tu etiamne adstas nec, quae dico, obtemperas?

THEVROPIDES.

Quid faciam?

TRANIO.

Cave respexis! fuge atque operi caput!

THEVROPIDES.

Cur non fugis tu?

TRANIO.

Pax mihi est cum mortuis.

THEVROPIDES.

Scio. Quid modo igitur? cur tantopere extimueras?

TRANIO.

Nil me curassis, inquam: ego mihi providero;
Tu, ut occepisti, tantum quantum quis, fuge
Atque Herculem invocabis.

THEVROPIDES.

Hercule, te invoco!

TRANIO.

Et ego, tibi hodie ut det, senex, magnum malum.

Proh di inmortales, obsecro vostram fidem,
Quid ego hoc die negoti confeci, malum!

DANISTA. THEVROPIDES. TRANIO.

DANISTA.

Scelestiorem ego annum argento foenori i. s. III, 1.
Nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem usque in foro dego diem;
Locare argenti nemini numum queo.

TRANIO.

Nunc pol ego perii plane in perpetuom modum:
Qui dedit, amica qui emta, danista adest quoque!
Manufesta res est, nisi quid occurro prius:
Hoc ne senex resciscat. Ibo huic obviam.
Sed quidquam hic sese tam cito recipit domum?
Metuo, ne de hac re quidpiam indaudiverit.
Accedam atque adpellabo. Hei, quam timeo miser!
Nihil est miserius, quam animus hominis conscius,
Sicut mi habet. Verum ututi res sese haec habet:
Pergam turbare porro: ita haec res postulat.
Vnde is?

THEVROPIDES.

Conveni illum, unde hasce aedis emeram.

TRANIO.

Numquid dixisti de illo, quod dixi tibi?

THEVROPIDES.

Dixi hercle verod omnia.

TRANIO.

— Vae misero mihi!
Metuo, ne technae meae perpetuo perierint!

THEVROPIDES.

Quid tute tecum?

TRANIO.

Nihil enim. Sed dic mihi:
Dixtine quaeso?

THEVROPIDES.

Dixi, inquam, ordine omnia.

TRANIO.

Etiam fatetur de hospite?

THEVROPIDES.

Imo pernegat.

TRANIO.

Negat?

THEVROPIDES.

Quam rogitas! Dicam, si confessus sit.
Quid nunc faciundum censes?

TRANIO.

Ego quid censeam?
Cape, obsecro hercule, una cum eo iudicem. —
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi. —
Tam facile vinces, quam pirum volpes comest.

DANISTA.

Sed Philolachetis servom eccum Tranium,
Qui mihi nec foenus nec sortem argenti danunt.

THEVROPIDES.

Quo te agis?

TRANIO.

Nec quoquam abeo. — Nae ego sum miser,
Scelestus, natus dis inimicis omnibus!
Iam illo praesente adibit. Nae ego homo sum miser:
Ita et hinc et illinc mi exhibent negotium.
Sed occupabo adire.

DANISTA.

Hic ad me it: salvos sum:
De argento spes est.

TRANIO.

Hilarus est frustra iste homo.
Salvere iubeo te, Misargyrides, bene.

DANISTA.

Salve et tu. Quid de argento?

TRANIO.

Abi, sis, belua!
Continuo adveniens pilum iniecisti mihi.

DANISTA.

Hic homo est inanis.

TRANIO.

Hic homo est certe hariolus.

DANISTA.

Quin tu istas mittis tricas?

TRANIO.

Quin, quid vis, cedo.

DANISTA.

Vbi Philolaches est?

TRANIO.

Nunquam potuisti mihi
Magis opportunus advenire, quam advenis.

DANISTA.

Quid est?

TRANIO.

Concede huc.

DANISTA.

Quin mi argentum redditur?

TRANIO.

Scio, te bona esse voce: ne clama nimis.

DANISTA.

Ego hercle vero clamo.

TRANIO.

Ah, gere morem mihi!

DANISTA.

Quid tibi ego morem vis geram?

TRANIO.

Abi, quaeso, hinc domum.

DANISTA.

Abeam?

TRANIO.

Redito huc circiter meridiem.

DANISTA.

Reddeturne igitur foenus? reddeturne?

TRANIO.

Abi.

DANISTA.

Quid ego huc recursem, aut operam sumam aut conteram?
Quid, si hic manebo potius ad meridiem?

TRANIO.

Imo abi domum! Verum hercle dico. Abi modo!

DANISTA.

Quin vos mihi foenus danite! Quid nugamini?

TRANIO.

Eu hercle! — Nae tu abi modo; ausculta mihi.

DANISTA.

Iam hercle illunc nominabo ego.

TRANIO.

Euge strenue!

Beatus vero es nunc, quom clamas.

DANISTA.

Meum peto.
Multos me hoc pacto iam dies frustramini.
Molestus si sum: reddite argentum: abiero.
Responsiones omnis hoc verbo eripit.

TRANIO.

Sortem accipe.

DANISTA.

Imo foenus: id primum volo.

TRANIO.

Quid? tu ted, homo hominum omnium teterrume,
Venisti huc extentatum? Agas, quod in manu est.
Non dat: non debet.

DANISTA.

Non debet?

TRANIO.

Ne gry quidem.

DANISTA.

Ferri hoc potest?

TRANIO.

Potest.

DANISTA.

Ain'? an quo abiit foras?

TRANIO.

Vrbem exul liquit, actus hinc causa tui.
Quin sortem potius reddebit.

DANISTA.

Quin non peto:
Cedo foenus! redde foenus! foenus reddite!
Daturin' estis foenus actutum mihi?
Date mihi foenus!

Tranio.

Foenus illic, foenus hic!
Nescit quidem nisi foenus fabularier
Veterator; neque ego tetriorem beluam
Vidisse me unquam quemquam, quam te, censeo.

Danista.

Non edepol nunc me tu istis verbis territas.

Tranio.

Molestus ne sis: nemo dat. Age quidlubet!
Tu solus, credo, foenore argentum datas.

Thevropides.

Quod illuc est foenus, obsecro, quod illic petit?

Tranio.

Pater eccum advenit peregre non multo prius
Illius; is et foenus tibi et sortem dabit:
Ne inconçiliare quid nos porro postules.
Vide, num moratur, quin feras.

Danista.

Si quid datur.

Thevropides.

Quid ais tu?

Tranio.

Quid vis?

Thevropides.

Quis illic est? quid illic petit?
Quid Philolachetem gnatum conpellat meum
Sic et praesenti tibi facit convicium?
Quid illi debetur?

Tranio.

Obsecro hercle te, iube
Obici argentum huic ob os inpurae beluae.

THEVROPIDES.

Iubeam?

TRANIO.

Iube homini argento os verberarier.

DANISTA.

Perfacile ego ictus perpetior argenteos.

THEVROPIDES.

Illud volo dici mi, illud me scire expeto,
Quod illud argentum est.

TRANIO.

Huiic debet Philolaches . . . .

DANISTA.

Paulum.

THEVROPIDES.

Quantillum?

TRANIO.

Quasi quadraginta minas.

DANISTA.

Ne sane id multum censeas: paulum id quidem est.

TRANIO.

Audin'? videturne, obsecro hercle, idoneus,
Danista qui sit, genus quod inprobissumum est?

THEVROPIDES.

Non nunc ego istuc curo, qui sit, unde sit.
Adeo etiam argenti foenus creditum audio.

TRANIO.

Quatuor quadraginta illi debentur minae.
Dic te daturum: ut abeat.

THEVROPIDES.

Egon' dicam dare?

TRANIO.

Dic.

THEVROPIDES.

Egone?

TRANIO.

Tu ipsus. Dic modo! ausculta mihi!
Promitte! age, inquam: ego iubeo.

THEVROPIDES.

Responde mihi:
Quid eo est argento factum?

TRANIO.

Salvom est.

THEVROPIDES.

Solvite
Vosmet igitur, si salvom est.

TRANIO.

Aedis filius
Tuos emit.

THEVROPIDES.

Aedis?

TRANIO.

Aedis.

THEVROPIDES.

Euge! Philolaches
Patrissat! iam homo in mercatura vortitur!
Ain' tu aedis?

TRANIO.

Aedis, inquam. Sed scin', quoiusmodi?

THEVROPIDES.

Qui scire possum?

TRANIO.

Vah!

THEVROPIDES.

Quid est?

TRANIO.

Ne me roga.

THEVROPIDES.

Nam quid ita?

TRANIO.

Speculo claras, clarorem merum.

THEVROPIDES.

Bene hercle factum! Quid? eas quanti destinat?

TRANIO.

Talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus.
Sed arrhaboni illas quadraginta minas
Hinc sumsit, quas debemus. Satin' intellegis?
Nam postquam haec aedes ita erant, ut dixi tibi:
Continuo est alias aedis mercatus sibi.

THEVROPIDES.

Bene hercle factum!

DANISTA.

Heus, iam adpetit meridies!

TRANIO.

Absolve hunc, quaeso: vomitu ne hic nos enicet.
Quatuor quadraginta illi debentur minae,
Et sors et foenus.

DANISTA.

Tantum est; nihilo plus peto.

TRANIO.

Velim quidem hercle, ut uno numo plus petas.

THEVROPIDES.

Adulescens, mecum rem habe.

DANISTA.

Nempe abs te petam?

THEVROPIDES.

Petito cras.

DANISTA.

Abeo: sat habeo, si cras fero.

TRANIO.

Malum quod isti di deaeque omnes duint:
Ita mea consilia perturbat penissume.
Nullum edepol hodie genus est hominum tetrius
Nec minus bono cum iure, quam danisticum.

THEVROPIDES.

Qua in regione istas aedis emit filius?

TRANIO.

Ecce autem perii!

THEVROPIDES.

Dicisne hoc, quod te rogo?

TRANIO.

Dicam; sed nomen domini quaero quid siet.

THEVROPIDES.

Age, conminiscere ergo.

TRANIO.

Quo ego nunc agam,
Nisi in vicinum hunc proxumum, mendacium?
Eas emisse aedis huius dicam filium.
Calidum hercle audivi esse optumum mendacium:
Calidum hoc est: etsi procul abest, urit male.
Quaequae deducunt: id decretum est dicere.

THEVROPIDES.

Quid igitur? iam commentus?

TRANIO.

Di istunc perduint!
— Imo istunc potius! — De vicino hoc proxumo
Tuos emit aedis filius.

THEV-

THEVROPIDES.

Bonan' fide?

TRANIO.

Si quidem es argentum redditurus: tum bona;
Si redditurus non es: non emit bona.

THEVROPIDES.

Non in loco emit perbono has.

TRANIO.

Imo optumo.

THEVROPIDES.

Cupio hercle inspicere has aedis: pultadum foris
Atque evocato aliquem intus ad te, Tranio.

TRANIO.

Ecce autem iterum nunc, quid ego dicam, nescio!
Iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt!
Quid nunc? Non hercle, quid nunc faciam, reperio;
Manufesto teneor.

THEVROPIDES.

Evocadum aliquem foras:
Roga, circumducat. Heus tu!

TRANIO.

At hic sunt mulieres:
Videndum est primum, utrum eae velint, an non velint.

THEVROPIDES.

Bonum aequomque oras: percontaredum et roga.
Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar foris.

TRANIO.

Di te deaeque omnes funditus perdant, senex:
Ita mea consilia undique oppugnas mala.
Euge, optume, eccum, aedium dominus foras
Simo progreditur ipsus. Huc concessero,

Dum mihi senatum consili in cor convoco:
Igitur tum accedam hunc, quando, quid agam, invenero.

SIMO. THEVROPIDES. TRANIO.

SIMO.

Melius anno hoc mihi non fuit domi, co. ex c. d. et t. h. III, 2.
Nec quidem esca una me iuverit magis.
Prandium uxor mihi perbonum dedit;
Nunc dormitum iubet ire me. Minume!
Non mihi forte visum eloco fuit!
Melius quom prandium, quam solum, dedit:
Voluit in cubiculum abducere med anus.
Non bonus somnus de prandio: apage te!
Clanculum ex aedibus me edidi foras.
Tota turget mihi uxor nunc, scio, domi.

TRANIO.

Res parata est mala in vesperum huic seni:
Nam et coenandum et cubandum intus est male.

SIMO.

Quo magis cogito cum animo meo:
Si quis dotatam uxorem habet
Neminem solicitat sopor
Ire dormitum odio est vero
Exsequi certa res est, ut abierim
Potius hinc ad forum, quam domi cubem.
Atque pol nescio, ut moribus sient
Vostrae; haec sat scio quam me habeat male, et
Peius posthac fore, quam fuit mihi.

TRANIO.

Abitus tuos tibi, senex, fecerit male:
Nihil erit quod deorum ullum adcusites;
Te ipse iure optumo merito incuses licet. c. t.
Tempus nunc est, senem hunc adloqui, mihi. co. ex c. d. et t. h.
Hoc habet! reperi, qui senem ducerem, c. t.
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.
Accedam. Di te ament plurimum, Simo. co. ex c. d. et t. h.

SIMO.

Salvos sis, Tranio.

TRANIO.

Vt tu vales?

SIMO.

Non male. c. t.
Quid agis?

TRANIO.

Hominem optumum teneo.

SIMO.

Amice facis,
Quom me laudas.

TRANIO.

Decet certe hercle.

SIMO.

At te ego co. ex c. d. et t. h.
Haud bonum teneo servom.

THEVROPIDES.

Heia, mastigia, ad c. t.
Me redi!

TRANIO.

Iam isti ero.

THEVROPIDES.

Quin nunc? quam mox?

SIMO.

Quid est?

TRANIO.

Quod solet fieri.

SIMO.

Dic, quid est. Sed loquar.
Sic decet. Vt homines sunt: ita morem geras.
co. ex c. d. et t. h.
Vita quam sit brevis, simitu cogitas.

TRANIO.

Quid? Ehem, vix tandem percepi, super his te
Rebus nostris loqui. c. d.

SIMO.

Musice hercle agitis aetatem ita, ut vos decet: c. t.
Vino, victu, piscatu probo, electili,
Colitis vitam.

TRANIO.

Imo vita antidhac erat co. ex c. d. et t. h.
Nobis; nunc exciderunt communia.

SIMO.

Quidum?

TRANIO.

Ita occidimus omnes, Simo, oppido.

SIMO.

Non taces? Prospere vobis cuncta usque adhuc c. t.
Processerunt.

TRANIO.

Ita, ut dicis, facta haud nego:
Nos profecto probe, ut voluimus, viximus;
Sed, Simo, ita ventus navem deserit nunc . . . .

SIMO.

Quid est?
Quo modo?

TRANIO.

Pessumo.

SIMO.

Quaene subducta erat
Tuto in terram?

TRANIO.

Hei!

SIMO.

Quid est?

TRANIO.

Me miserum! occidi! co. ex c. d. et t. h.

SIMO.

Qui?

TRANIO.

Quia venit navis, nostrae navi quae frangat ratem. t. t. c.

SIMO.

Vellem, ut tu velles, Tranio. Quid est negoti, eloquere. i. t. c.

TRANIO.

Herus peregre venit.

SIMO.

Tuosne? Tunc, tunc contendetur. Indet
In ferriterium; post . . . .

TRANIO.

Per genua te obsecro, ne indicium
Hero facias.

SIMO.

E me quidem, ne metuas, nil rescibit.

TRANIO.

Patrone, salve.

SIMO.

Nil moror mi istiusmodi clientis.

TRANIO.

Nunc hoc, quod ad te noster me misit senex .... i. s.

SIMO.

Hoc mihi responde primum, quod ego te rogo:
Iam de istis rebus voster quid sensit senex?

TRANIO.

Nil quidquam.

SIMO.

Numquid increpitavit filium?

TRANIO.

Tam liquidust, quam liquida esse tempestas solet.
Nunc te hoc orare iussit opere maxumo,
Vt sibi liceret inspicere has aedis tuas.

SIMO.

Non sunt venales.

TRANIO.

Scio equidem istuc; sed senex
Gynaeceum aedificare volt hic in suis
Et balineas et ambulacrum et porticum.

SIMO.

Sed quid consomniavit?

TRANIO.

Ego dicam tibi.
Dare volt uxorem filio quantum potest:
Ad eam rem facere volt gynaeceum novom.
Nam sibi laudavisse hasce ait architectonem
Nescio quem, esse aedificatas has sane bene:
Nunc hinc exemplum capere volt, nisi tu nevis ....

SIMO.

Nae illic malo quidem ab opere exemplum petit.

TRANIO.

Quia hic audivit esse aestatem perbonam;
Subdiu coli absque sole perpetuom diem.

SIMO.

Imo edepol vero, quom usquequaque umbra est, tamen
Sol semper hic est usque a mani ad vesperum;
Quasi flagitator adstat usque ad ostium;
Neque umbra mi usquam est, nisi si in puteo quaepiam est.

TRANIO.

Quid? Sarsinatis ecqua est, si umbram non habes?

SIMO.

Molestus ne sis. Haec sunt sicut praedico.

TRANIO.

Attamen inspicere volt.

SIMO.

Inspiciat, si lubet.
Si quid erit, quod illi placeat: de exemplo meo
Ipse aedificato.

TRANIO.

Eon'? voco huc hominem?

SIMO.

Voca.

TRANIO.

Alexandrum magnum atque Agathoclem aiunt maxumas
Duo res gessisse: quid mihi fiet tertio,
Qui solus facio facinora inmortalia?
Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex.
Novitium mihi quaestum institui non malum:

Nam muliones mulos clitellarios
Habent; ego homines habeo clitellarios.
Magni sunt oneris; quidquid inponas, vehunt.
Nunc hunc haud scio an conloquar. Congrediar. co. ex b. d. et i. h.
Heus, Theuropides!

THEVRORIDES.

Hem, quis nominat me?

TRANIO.

Hero servos multum suo fidelis.
Quod me miseras, adfero omne inpetratum. b. t.

THEVROPIDES.

Quid illi, obsecro, tam diu destitisti?

TRANIO.

Seni non erat otium: id sum opperitus.

THEVROPIDES.

Antiquom obtines hoc tuom, tardus ut sis.

TRANIO.

Heus tu, si voles verbum hoc cogitare,
Simul flare sorbereque haud factu facile est:
Ego hic esse et illic simulde haud potui. co. ex b. d. et i. h.

THEVROPIDES.

Quid nunc?

TRANIO.

Vise, specta, tuo arbitratu.

THEVROPIDES.

Age, duc me.

TRANIO.

Non moror.

THEVROPIDES.

Subsequor te. as. ex a i. h.

TRANIO.

Senex ipse te ante ostium, eccum, opperitur. b. t.
Sed est moestus, sese hasce vendidisse . . . . co. ex
b. d. et i. h.

THEVROPIDES.

Quid tandem?

TRANIO.

Orat, ut suadeam Philolachi,
Vt istas remittat sibi.

THEVROPIDES.

Haud opinor.
Sibi quisque ruri metit. Si male emtae b. t.
Forent: nobis istas redhiberi haud liceret.
Lucri quidquid est, id domum trahere oportet.

TRANIO.

Misericordiam tamen habere hominem oportet.

THEVROPIDES.

Morare hercle.

TRANIO.

Face subsequare.

THEVROPIDES.

Fiat. co. ex. b. t. et i. h.

TRANIO.

Do tibi ego operam. Senex ille est. — Hem, adduxi hominem tibi! t. t. c.

SIMO.

Salvom te advenisse peregre gaudeo, Theuropides.

THEVROPIDES.

Di te ament.

SIMO.

Inspicere te aedis has velle aiebat mihi.

THEVROPIDES.

Nisi tibi est incommodum.

SIMO.

Imo commodum. I intro atque inspice.

TRANIO.

At enim mulieres . . . .

SIMO.

Cave tu ullam floccifaxis mulierem.
Qualibet perambula aedis oppido, tamquam tuas.

THEVROPIDES.

Tamquam?

TRANIO.

Ah, cave tu illi obiectes nunc in aegritudine,
Te has emisse. Non vides hunc, voltu ut est tristi senex?

THEVROPIDES.

Video.

TRANIO.

Ergo inridere ne videare et gestire admodum,
Noli facere mentionem, ted emisse.

THEVROPIDES.

Intellego
Et bene monitum duco atque esse existumo humani ingeni.
Quid nunc?

SIMO.

Quin tu is intro atque otio perspectas, ut lubet?

THEVROPIDES.

Bene benigneque arbitror te facere.

SIMO.

Factum edepol volo.

TRANIO.

Vide, vestibulum hoc ante aedem et ambulacrum quoiusmodi!

THEVROPIDES.

Luculentum edepol profecto!

TRANIO.

Age specta, postis quoiusmodi,
Quanta firmitate facti et quanta crassitudine!

THEVROPIDES.

Non videor vidisse postis pulcriores.

SIMO.

Pol mihi
Eo pretio emti fuerant olim.

TRANIO.

Audin' „Fuerant“ dicere?
Vix videtur continere lacrumas.

THEVROPIDES.

Quanti hosce emeras?

SIMO.

Tres minas pro istis duobus praeter vecturam dedi.

THEVROPIDES.

Hercle quin multum inprobiores sunt, qua a primo credidi.

TRANIO.

Quapropter?

THEVROPIDES.

Quia edepol ambo ab infumo tarmes secat.

TRANIO.

Intempestivos excisos credo; id eis vitium nocet:
Atque etiam nunc satis boni sunt, si sint inducti pice.

Non enim haec pultiphagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus?

THEVROPIDES.

Video.

TRANIO.

Specta, quam arte dormiunt!

THEVROPIDES.

Dormiunt?

TRANIO.

Illud quidem, ut connivent, volui dicere.
Satin' habes?

THEVROPIDES.

Vt quidquid mage contemplor, tanto mage placet.

TRANIO.

Viden' pictum, ubi ludificat cornix una volturios duo?
Cornix adstat; ea volturios duo vicissim vellicat.
Quaeso, huc ad me specta: cornicem ut conspicere possies.
Iam vides?

THEVROPIDES.

Profecto nullam equidem illi cornicem intuor.

TRANIO.

At tu isto ad vos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si volturios forte possis contui.

THEVROPIDES.

Omnino, ut te absolvam, nullam pictam conspicio hic avem.

TRANIO.

Age, iam mitto. Ignosco: aetate non quis obtuerier.

THEVROPIDES.

Haec, quae possum, ea mihi profecto cuncta vehementer placent.

SIMO.

Latius demum operae est pretium ivisse.

THEVROPIDES.

Eu! recte edepol mones.

SIMO.

Vin', qui perductet?

THEVROPIDES.

Apage istinc perductorem: non placet.
Quidquid est, errabo potius, quam perductet quispiam.

SIMO.

Eho, istunc, puere, circumduce hasce aedis et conclavia.
Nam egomet ductarem, nisi mi esset ad forum negotium.

THEVROPIDES.

Apage istum a me perductorem: nil moror ductarier.

SIMO.

Aedis dico ego.

THEVROPIDES.

Intro eo igitur sine perductore?

SIMO.

Ilicet.

THEVROPIDES.

Ibo igitur.

SIMO.

Etiam, sis.

TRANIO.

Video, ne canis . . . ?

THEVROPIDES.

Agedum, vide.

TRANIO.

St, abi: canis est. Abi dierecta! Est! Abin' hinc — in malam crucem?
At etiam restas? Abi istinc!

SIMO.

Nil periculi est. Age.

TRANIO.

Tam placida est, quam — foeta.

SIMO.

Quavis ire intro audacter licet.
Eo ego hinc ad forum.

THEVROPIDES.

Fecisti commode. Bene ambula. —
Tranio! — Tranio, age, canem istam a foribus abducas face,
Etsi non metuenda est.

TRANIO.

Quin tu illam adspice, ut placide adcubat!
Nisi molestum vis videri te atque ignavom . . . .

THEVROPIDES.

Iam, ut lubet.
Sequere hac igitur.

TRANIO.

Equidem haud usquam a pedibus abscedam tuis.

TRANIO. THEVROPIDES.

TRANIO.

Quid tibi visum est hoc mercimoni?

THEVROPIDES.

Totus gaudeo. t. t. c. IV, 1

TRANIO.

Num nimio emtae tibi videntur?

THEVROPIDES.

Nunquam edepol ego me scio
Vidisse usquam abiectas aedis, nisi modo hasce.

TRANIO.

Ecquid placent?

THEVROPIDES.

Ecquid placeant, me rogas? Imo hercle vero perplacent.

TRANIO.

Quoiusmodi gynaeceum? quid porticum?

THEVROPIDES.

Insanum bonam.
Non equidem ullam in publico esse maiorem hac existumo.

TRANIO.

Quin ego ipse et Philolaches in publico omnis porticus
Sumus conmensi.

THEVROPIDES.

Quid igitur?

TRANIO.

Longe omnium longissuma est.

THEVROPIDES.

Di inmortales, mercimoni lepidi! Si hercle nunc ferat

Sex talenta magna argenti pro istis praesentaria:
Nunquam accipiam.

TRANIO.

Si hercle accipere cupias: ego nunquam sinam.

THEVROPIDES.

Bene res nostra conlocata est istoc mercimonio.

TRANIO.

Me suasore atque inpulsore id factum audacter dicito.
Quin subegi, foenore argentum ab danista ut sumeret,
Quod isti dedimus arrhaboni.

THEVROPIDES.

Servavisti omnem ratem.
Nempe octoginta debentur huic minae?

TRANIO.

Haud numo amplius.

THEVROPIDES.

Hodie accipiat.

TRANIO.

Ita enimvero. Ne qua causa subsiet:
Vel mihi denumerato; ego illi porro denumeravero.

THEVROPIDES.

At enim ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi!

TRANIO.

Egone te ioculo modo ausim dicto aut facto fallere?

THEVROPIDES.

Egon' abs te ausim non cavere, ne quid conmittam tibi?

TRANIO.

Quid? tibi unquam quidquam, postquam tuos sum, verborum dedi?

THEV-

THEVROPIDES.

Ego enim cavi recte.

TRANIO.

Enim debes gratiam.

THEVROPIDES.

Atqui animo meo.

Sat sapio, si abs te modo uno caveo.

TRANIO.

Tecum sentio.

THEVROPIDES.

Nunc abi rus: dic, me advenisse, filio.

TRANIO.

Faciam, ut voles.

THEVROPIDES.

Curriculo iube in urbem veniat iam simul tecum.

TRANIO.

Licet.

Nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam:
Dicam, ut hic res sint quietae, atque, hunc ut hinc amoverim.

PHANISCVS. ALIVS SERVOS. THEVROPIDES.

PHANISCVS.

Servi, qui, quom culpa caruit, tamen malum metuont, hi as. ex t. d. et i. d. c. IV, 2
Esse heris solent utibiles: nam illi, nihil qui metuont,

Postquam sunt malum meriti, stulta sibi expetunt consilia:
Exercent sese ad cursuram; sed enim si sunt reprehensi:
Faciunt malo, peculio quod nequeunt: augent ex pauxillo. t. t.
Disparant mihi pectora et consilia malam rem prius t. t. c.
Quam ut meum
Vt adhuc fuit, mihi corium esse oportet as. ex 2 i. h.
Sincerum atque, ut vetem verberari.
Si huic imperabo: probe tectum habebo:
Malum quom inpluit ceteros, ne inpluat mihi. b. t.
Nam ut servi volunt esse herum, ita solet: as. ex b. d. et i.
Boni b o n i s sunt, inprobi sunt maleficis. i. s.
Nam nunc domi nostrae tot vivont pessumi
Peculi sui prodigi plagigeruli. b. t.
Vbi, advorsum ut eant, vocantur, hero: „Non eo! molestus ne sis! t. t.
Scio, quo properas! gestis iam! aliquo hercle ire foras vis, mula, pastum!“
Bene merens hoc pretium inde abstuli. Abii foras: as. ex t. d. et i.
Solus nunc eo hero advorsum ex servis plurimis.
Hoc die crastini quom herus resciverit: c. t.
Nae castigabit eos bubulis exuvis.
Postremo e g o minoris pendo tergum illorum, quam meum. t. t. c.
Illi erunt bucaedae multo potius, quam ego sim restio.

SERVOS.

Mane tu atque adsiste eloco, Phanisce! as. ex b. d. et i. h.

Etiam respicis?

PHANISCVS.

Mihi molestus ne sis.

SERVOS.

Vide, ut fastidit simia! i. d.

PHANISCVS.

Mihi sum! lubet esse! quid id tu curas? as. ex b. d. et t.

SERVOS.

Manesne eloco, inpure parasite?

PHANISCVS.

Qui parasitus sum ego?

SERVOS.

Enim dicam: cibo perduci poteris quovis. t. t.

Ferocem facis, quia te herus tam amat?

PHANISCVS.

Vah, as. ex 2 i. h.

Oculi dolent!

SERVOS.

Cur?

PHANISCVS.

Quia fumus molestus.

SERVOS.

Tace, sis, faber, qui cudere soles plumbeos! i. s.

PHANISCVS.

Non potes tu cogere me, ut tibi maledicam: novit herus me. t. t.

SERVOS.

Suam quidem pol culcitullam oportet.

PHANISCVS.

Si sobrius sies: t. t. c.
Male non dicas.

SERVOS.

Tibin' obtemperem, quom tu nequeas mihi?

PHANISCVS.

At tu mecum, pessume, ito advorsus.

SERVOS.

Quaeso hercle, abstine
Iam sermonem de istis rebus.

PHANISCVS.

Faciam et pultabo foris.
Heus, ecquis hic est, maxumam qui foribus his defendat i. t. c.
Iniuriam? Ecquis exit huc atque aperit? — Hinc quidem nemo
Exit foras. Vt addecet nequam homines esse: ita sunt.
Sed eo mage canto est opus, ne huc exeat, qui male me mulcet. t. t.
Hic quidem neque convivarum sonitus item ut antehac fuit, t. t. c.
Neque tibicinam cantantem neque alium quemquam audio.

THEVROPIDES.

Quae illaec res est? quid illice homines quaerunt apud aedis meas?
Quid volunt? quid introspectant?

PHANISCVS.

Pergam pultare ostium.
Heus, reclude, heus, Tranio! Etiam aperis?

THEVROPIDES.

Quae haec est fabula?

PHANISCVS.

Etiamne aperis? Callidamati nostro advorsum venimus.

THEVROPIDES.

Heus, vos, pueri, quid istic agitis? quid istas aedis frangitis?

PHANISCVS.

Herus hic noster potat.

THEVROPIDES.

Herus hic voster potat?

PHANISCVS.

Ita loquor.

THEVROPIDES.

Puere, nimium es delicatus.

PHANISCVS.

Eii advorsum venimus.

THEVROPIDES.

Quoi homini?

PHANISCVS.

Hero nostro. Quaeso, quotiens dicundum est tibi?

THEVROPIDES.

Puer, hic nemo habitat: nam ted esse arbitror puerum probum.

PHANISCVS.

Non hic Philolaches adulescens habitat hisce in aedibus?

SERVOS.

Hic senex cerebrosus certe est.

PHANISCVS.

Erras perverse, pater:

Nam nisi hinc hodie emigravit aut heri, certo scio,
Hic habitare.

THEVROPIDES.

Quin sex mensis iam hic nemo habitat.

SERVOS.

Somnias.

THEVROPIDES.

Egone?

SERVOS.

Tu.

THEVROPIDES.

Tu nae. Molestus. Sine me cum puero loqui.

PHANISCVS.

Nemo habitat? Habitat profecto: nam heri et nudiustertius,
Quartus, quintus, sextus, usque, postquam hinc peregre eius pater
Abiit, nunquam hic triduom unum desitum est esse et bibi.

THEVROPIDES.

Quid ais?

PHANISCVS.

Triduom unum est haud intermissum hic esse et bibi,
Scorta duci, pergraecari, fidicinas, tibicinas
Ducere.

THEVROPIDES.

Quis istaec faciebat?

PHANISCVS.

Philolaches.

THEVROPIDES.

Qui Philolaches?

PHANISCVS.

Quoi patrem Theuropidem esse opinor.

THEVROPIDES.

Heu heu, occidi,
Si haec hic vera memorat! Pergam porro percontarier.
An' tu, istic potare solitum Philolachem istum, quisquis est,
Cum hero vostro?

PHANISCVS.

Hic, inquam.

THEVROPIDES.

Puere, praeter speciem stultus es.
Vide, sis, ne forte ad merendam quopiam devorteris
Atque ibi meliuscule, quam sat fuerit, biberis.

PHANISCVS.

Quid est?

THEVROPIDES.

Ita dico: ne ad alias aedis perperam deveneris.

PHANISCVS.

Scio, qua me ire oportet, et, quo venerim, novi, loci.
Philolaches hic habitat, quoius est pater Theuropides,
Qui, postquam pater ad mercatum abivit hinc, tibicinam
Liberavit.

THEVROPIDES.

Philolaches ergo?

PHANISCVS.

Ita: Philematium quidem.

THEVROPIDES.

Quanti?

SERVOS.

Triginta talentis.

PHANISCVS.

Μὰ τὸν Ἀπόλλω, sed minis.

THEVROPIDES.

Ain', minis triginta amicam destinatam Philolachi?

PHANISCVS.

Aio.

THEVROPIDES.

Atque eam manu emisissed?

PHANISCVS.

Aio.

THEVROPIDES.

Et postquam eius pater
Hinc siet profectus peregre, perpotasse adsiduo
Tuo cum dominod?

PHANISCVS.

Aio.

THEVROPIDES.

Quid? is hic aedis emit proxumas?

PHANISCVS.

Non aio.

THEVROPIDES.

Quadraginta etiam dedit huic, quae essent pignori?

PHANISCVS.

Neque illuc aio.

THEVROPIDES.

Hei, perdis!

PHANISCVS.

Imo suom patrem illic perdidit.

THEVROPIDES.

Vera cantas? Vana vellem!

PHANISCVS.

Patris amicus videlicet.

THEVROPIDES.

Heu, edepol eum patrem miserum praedicas!

PHANISCVS.

Nihil hoc quidem est,
Triginta minae, prae quam alios dapsilis sumtus facit.
Perdidit patrem. Vnus istic servos est sacerrumus,
Tranio; is vel Herculi conterere quaestum possiet.
Edepol nae med eius patris miseret, qui quom istaec sciet
Facta ita: amburet misero eii corculum carbunculus.

THEVROPIDES.

Si quidem istaec vera sunt.

PHANISCVS.

Quid merear, quamobrem mentiar?
Heus vos, ecqui hasce aperit?

SERVOS.

Quid ita pultas, ubi nemo intus est?

PHANISCVS.

Alio credo comissatum abisse: abeamus nunc iam.

THEVROPIDES.

Puere, iamne abis? Libertas — paenulae est tergo tuo.

PHANISCVS.

Mihi, nisi herum uti metuam et curem, nihil est, qui tergum tegam.

THEVROPIDES. SIMO.

THEVROPIDES.

Perii hercle! quid opust verbis? Vt verba audio,
i. s. IV, 3.
Non equidem in Aegyptum hinc modo vectus fui,
Sed etiam in terras solas orasque ultimas
Sum circumvectus: ita, ubi nunc sim, nescio.
Verum iam scibo: nam eccum, unde aedis filius
Meus emit. Quid agis tu?

SIMO.

A foro incedo domum.

THEVROPIDES.

Numquid processit ad forum hoc die novi?

SIMO.

Etiam.

THEVROPIDES.

Quid tandem?

SIMO.

Vidi ecferri mortuom.

THEVROPIDES.

Hem,
Novom!

SIMO.

Vnum vidi mortuom ecferri foras.
Modo eum vixisse aiebant.

THEVROPIDES.

Vae capiti tuo!

SIMO.

Quid tu otiosus res novas requiritas?

THEVROPIDES.

Quia hodie adveni peregre.

SIMO.

Promisi foras:
Ad coenam ne me te vocare censeas.

THEVROPIDES.

Haud postulo edepol.

SIMO.

Verum cras, nisi quis prius
Vocaverit me, vel apud te coenavero.

THEVROPIDES.

Ne istuc quidem edepol postulo. Nisi quid magis
Es occupatus: operam mihi da.

SIMO.

Maxume.

THEVROPIDES.

Minas quadraginta accepisti, quod sciam,
A Philolachete?

SIMO.

Nunquam numum, quod sciam.

THEVROPIDES.

Quid?
A Tranione servolo?

SIMO.

Multo id minus.

THEVROPIDES.

Quas arrhaboni tibi dedit?

SIMO.

Quid somnias?

THEVROPIDES.

Egone? At quidem tu, qui istoc te speras modo
Potesse dissimulando infectum hoc reddere.

SIMO.

Quid autem?

THEVROPIDES.

Quod me absente tecum hic filius
Negoti gessit.

SIMO.

Mecum ut ille hic gesserit,
Dum tu hinc abes, negotia? quidnam aut quo die?

THEVROPIDES.

Minas tibi octoginta argenti debeo.

SIMO.

Non mihi quidem hercle; verum, si debes, cedo.
Fides servanda est: ne ire inficias postules.

THEVROPIDES.

Profecto non negabo debere et dabo.
Tu cave, quadraginta accepisse hinc ne neges.

SIMO.

Quaeso edepol, huc me adspecta et responde mihi.
Te velle uxorem aiebat tuo nato dare:
Ideo aedificare hic velle aiebat in tuis.

THEVROPIDES.

Hic aedificare volui?

SIMO.

Sic dixit mihi.

THEVROPIDES.

Hei mihi, disperii! vocis non habeo satis!
Vicine, interii, perii!

SIMO.

Numquid Tranio
Turbavit?

THEVROPIDES.

Imo mi exturbavit omnia.
Te ludificatust et me hodie indignis modis.

SIMO.

Quid tu ais?

THEVROPIDES.

Haec res sic est, ut narro tibi.
Deludificatust me hodie in perpetuom modum.
Nunc te obsecro, ut me bene iuves operamque des.

SIMO.

Quid vis?

THEVROPIDES.

I mecum, obsecro te, una simul . . . .

SIMO.

Fiat.

THEVROPIDES.

Servorumque operam et lora mihi cedo.

SIMO.

Sume.

THEVROPIDES.

Eademque operad haec tibi narravero,
Quis med exemplis hodie ludificatus est.

TRANIO. THEVROPIDES.

TRANIO.

Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit; t. t. c. V, 1.
Atque equidem, quid id esse dicam verbum nauci, nescio.
Nam herus postquam rus me misit, filium ut suom arcesserem:
Abii illa per angiportum ad hortum nostrum clanculum,

Ostium quo in angiportu est; horti patefeci foris;
Eaque eduxi omnem legionem, et maris et feminas.
Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplares meos:
Capio consilium, ut senatum congerronum convocem;
Quem quom convocavi: atque illi me e senatu segregant.
Vbi ego video, vorti rem in meo foro: quantum potest
Facio idem, quod plurimi alii, quibus res timida aut turbida est:
Pergunt turbare usque, uti ne quid sit conquiescere.
Nam scio equidem, nullo pacto iam esse posse clam senem.
Sed quid hoc est, quod foris concrepuit proxuma vicinia?
Herus hic meus quidem est. Gustare ego eius sermonem volo.

THEVROPIDES.

Eloco intra limen adstate illi: ut, quom extemplo vocem,
Continuo exiliatis. Manicas celeriter connectite.
Ego illum ante aedis praestolabor ludificatorem meum,
Quoius hic ego ludificabo corium, si vivo, probe.

TRANIO.

Res palam est. Nunc te videre meliust, quid agas, Tranio.

THEVROPIDES.

Docte atque astu mihi captandum est cum illo, ubi huc advenerit.

Non ego illi extemplo ita meum ostendam sensum: mittam lineam;
Dissimulabo, me horum quidquam scire.

TRANIO.

O mortalem malum!
Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest.
Verba dari illi non magis hodie quisquam, quam lapidi, potest.
Adgrediar hominem; adpellabo.

THEVROPIDES.

Nunc ego illunc veniat velim.

TRANIO.

Si quidem pol me quaeris: adsum praesens praesenti tibi.

THEVROPIDES.

Euge, Tranio, quid agitur?

TRANIO.

Veniunt ruri rustici,
Philolachesque etiam aderit.

THEVROPIDES.

Edepol opportune mi advenis.
Nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum.

TRANIO.

Quidum?

THEVROPIDES.

Quia negat novisse vos....

TRANIO.

Negat?

THEVROPIDES.

Nec vos sibi
Numum unquam argenti dedisse.

TRANIO.

Abi, ludis me. Credo, haud negat.

THEVROPIDES.

Quid iam?

TRANIO.

Scio, iocaris nunc tu: namque illic quidem haud negat.

THEVROPIDES.

Imo edepol negat profecto, neque se has aedis Philolachi
Vendidisse.

TRANIO.

Eho, an negavit, sibi datum argentum, obsecro?

THEVROPIDES.

Quin iusiurandum pollicitus est dare, si vellem, mihi,
Neque se hasce aedis vendidisse neque sibi argentum datum.
Dixi istuc idem ego illi.

TRANIO.

Quid ait?

THEVROPIDES.

Servos pollicitust dare
Suos mihi omnis quaestioni.

TRANIO.

Nugas! nunquam edepol dabit.

THEVROPIDES.

Dat profecto.

TRANIO.

Quin cita illum in ius.

THEVROPIDES.

Si veniat.

TRANIO.

Tu mane.

THEV-

THEVROPIDES.

Experiar, ut opinor. Certum est, Tranio.

TRANIO.

Mihi hominem cedo!
Vel hominem iube mancupio aedis posci.

THEVROPIDES.

Imo hoc primum volo:
Quaestioni accipere servos.

TRANIO.

Faciundum edepol censeo.

THEVROPIDES.

Quid, si igitur ego arcessam homines?

TRANIO.

Factum iam esse oportuit.
Ego interim hanc aram occupabo.

THEVROPIDES.

Quid ita?

TRANIO.

Nullam rem sapis: i. t.
Ne enim illi huc confugere possint, quaestioni quos dabit. t. t. c.
Hic ego tibi praesidebo: ne interbitat quaestio.

THEVROPIDES.

Surge.

TRANIO.

Minume.

THEVROPIDES.

Ne occupassis, obsecro, aram.

TRANIO.

Cur?

THEVROPIDES.

Scies.
Quia enim id maxume volo, illi ut istoc confugiant. Sine:

Tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.

TRANIO.

Quod agis, id agas. Quid tu porro serere vis negotium?
Nescis tu, quam meticulosa res sit ire ad iudicem.

THEVROPIDES.

Surgedum hinc: est consulere igitur quiddam quod tecum volo.

TRANIO.

Sic tamen hinc consilium dedero: nimio plus sapio sedens;
Tum consilia firmiora sunt de divinis locis.

THEVROPIDES.

Surge! ne nugare! adspicedum contra me!

TRANIO.

Adspexi.

THEVROPIDES.

Vides?

TRANIO.

Video: huc si quis intercedat tertius, pereat fame.

THEVROPIDES.

Quidum?

TRANIO.

Quia enim quaesti nil siet: mali hercle ambo sumus.

THEVROPIDES.

Perii!

TRANIO.

Quid tibi est?

THEVROPIDES.

Dedisti verba.

TRANIO.

Qui tandem?

THEVROPIDES.

Probe

Med emunxti.

TRANIO.

Vide, sis, satine recte: num mucci fluont?

THEVROPIDES.

Imo etiam cerebrum quoque omnem e capite emunxti meo.
Nam omnia malefacta vostra reperi radicitus;
Non radicitus quidem hercle: verum etiam eradicitus.
Nunquam edepol hodie haec inultus designaveris: tibi
Iam iubebo ignem et sarmenta, carnufex, circumdari.

TRANIO.

Ne faxis: nam elixus esse, quam assus, soleo suavior.

THEVROPIDES.

Exempla edepol faciam ego in te.

TRANIO.

Quia placeo, exemplum expetis?

THEVROPIDES.

Loquere: quoiusmodi reliqui, quom hinc abibam, filium?

TRANIO.

Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.

THEVROPIDES.

Aliud te rogo.

TRANIO.

Aliud ergo nunc tibi respondeo.

Sed eccum tui gnati sodalem video huc incedere,
Callidamatem: illo praesente mecum agito, si quid voles.

CALLIDAMATES. THEVROPIDES. TRANIO.

CALLIDAMATES.

Vbi somnum sepelivi omnem omnemque obdormivi crapulam: t. t. c. V, 2.
Philolaches venisse dixit mihi suom peregre huc patrem,
Quoque modo hominem advenientem servos ludificatus sit;
Ait, metuere sese illius in conspectum occedere.
Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus,
Qui a patre eius conciliarem pacem. Atque eccillum optume.
Iubeo te salvere et, salvos quom advenis, Theuropides,
Peregre, gaudeo. Hic apud nos hodie coenes. Sic face.

THEVROPIDES.

Callidamate, di te ament. De coena facio gratiam.

CALLIDAMATES.

Quin venis?

TRANIO.

Promitte: ego ibo pro te, si tibi non lubet.

THEVROPIDES.

Verbero, etiam inrides?

TRANIO.

Quian' me pro te — ire ad coenam autumo?

THEVROPIDES.

Non enim ibis: ego ferare faxo, ut meruisti, in crucem!

CALLIDAMATES.

Age, mitte istaec: ito ad coenam.

TRANIO.

Dic venturum. Quid taces?

CALLIDAMATES.

Sed tu istuc quid confugisti indu aram, inscitissumus?

TRANIO.

Adveniens perterruit me. — Loquere nunc, quid fecerim.
Nunc utriusque disceptator, eccum, adest: age, disputa.

THEVROPIDES.

Filium conrupisse aio te meum.

TRANIO.

Ausculta modo.
Fateor potavisse; amicam liberasse, absente te;
Foenori argentum sumsisse; id esse absumtum praedico.
Numquid fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus?

THEVROPIDES.

Hercle mihi tecum cavendum est: nimis quam es orator catus.

CALLIDAMATES.

Sine me dum istuc iudicare. Surge: ego isti adsedero.

THEVROPIDES.

Maxume. Accipito hanc ad tete litem.

TRANIO.

Enim istaec captio est.
Fac, ego ne metuam igitur et tu ut meam timeas vicem.

THEVROPIDES.

Iam minoris omnia facio, prae quam me quibus modis
Ludificatus est.

TRANIO.

Bene hercle factum et factum gaudeo.
Sapere istac aetate oportet, qui sunt capite candido.

THEVROPIDES.

Quid ego nunc faciam, si amicus Diphilus aut Philonides . . . .

TRANIO.

Dicito iis, quo pacto tuos te servos ludificaverit:
Optumas frustrationes dederis in comoediis.

CALLIDAMATES.

Tace parumper: sine vicissim me loqui. — Ausculta.

THEVROPIDES.

Licet.

CALLIDAMATES.

Omnium primum sodalem me esse scis gnato tuo.
Is adiit me: nam eum prodire pudet in conspectum tuom
Propterea, quae fecit, quia te scire scit. Nunc te obsecro,
Stultitiae adulescentiaique eius ignoscas. Tuost;
Scis, solere illanc aetatem tali ludo ludere;

Quidquid fecit, nobiscum una fecit; nos deliquimus:
Foenus, sortem, sumtumque omnem, quid amica est, omnia
Nos dabimus, nos conferemus, nostro sumtu, non tuo.

THEVROPIDES.

Non potuit venire orator magis ad me inpetrabilis,
Quam tu: neque ego illi sum iratus neque quidquam suscenseo;
Imo me praesente amato, bibito, facito quodlubet.
Si hoc pudet, fecisse sumtum: supplicii habeo satis.

CALLIDAMATES.

Dispudet.

THEVROPIDES.

Dabo istam veniam.

TRANIO.

Quid me fiet nunc iam?

THEVROPIDES.

Verberibus, lutum caedere pendens!

TRANIO.

Tamenetsi pudet?

THEVROPIDES.

Interimam hercle te ego, si vivo!

CALLIDAMATES.

Fac istam cunctam gratiam:
Tranio remitte, quaeso, hanc noxiam causa mea.

THEVROPIDES.

Aliud quidvis inpetrari perferam a me facilius,
Quam ut non istum ego pro suis factis pessumis pessum premam.

CALLIDAMATES.

Mitte, quaeso te, istunc.

THEVROPIDES.

Hem, viden', ut restat furcifer?

CALLIDAMATES.

Tranio, quiesce, si sapis.

THEVROPIDES.

Tu quiesce hanc rem modo
Petere; illum ego verberibus, ut quietus sit, subegero.

CALLIDAMATES.

Nihil opus profecto est. Age iam, sine ted exorarier.

THEVROPIDES.

Nolo ores.

CALLIDAMATES.

Quaeso hercle.

THEVROPIDES.

Nolo, inquam, ores.

CALLIDAMATES.

Nequidquam nevis:
Hanc modo unam noxae veniam, quaeso, da causa mea.

TRANIO.

Quid gravaris? Quasi non cras iam conmeream aliam noxiam:
Ibi utrumque, et hoc et illud, poteris ulcisci probe.

CALLIDAMATES.

Sine ted exorem.

THEVROPIDES.

Age, abi! abi inpune! Hem, huic habeto gratiam.

CANTOR.

Spectatores, fabula haec est acta: vos plausum date.

P E R S A.

ARGVMENTVM.

Profecto domino suos amores Toxilus
Emit atque curat, leno ut emittat manu;
Raptam quoque ut emat de praedone virginem
Subornata suadet sui parasiti filia
Atque intricatum ludit potans Dordalum.

DRAMATIS PERSONAE.

TOXILVS.
SAGARISTIO.
SATVRIO.
SOPHOCLIDISCA.
LEMNISELENE.
PAEGNIVM.
VIRGO.
DORDALVS.

TOXILVS. SAGARISTIO.

TOXILVS.

Qui amans egens ingressus est princeps amoris in vias, i. t. I, 1
Superavit aerumnis suis aerumnas Herculaneas:
Nam cum leone et cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo, deluctari mavelim,
Quam cum Amore. Ita fleo miser quaerendo argento mutuo;
Nec quidquam nisi „Non est“ sciunt mihi respondere, quos rogo.

SAGARISTIO.

Qui hero suo servire volt bene servos servitutem, i. t. c.
Nae illum edepol multa in pectore suo conlocare oportet,
Quae hero placere censeat praesenti atque absenti suo. i. t.
Ego nec lubenter servio nec satis sum hero ex sententia;
Sed quasi lippo oculo meus me herus manum abstinere haud quit tamen,
Quin mi imperet, quin me suis negotiis praefulciat.

TOXILVS.

Quis illic est, qui contra me adstat?

SAGARISTIO.

Quis illic est, qui contra me adstat? t. t.

TOXILVS.

Similis est Sagaristionis.

SAGARISTIO.

Toxilus hic quidem meus amicust.

TOXILVS.

Is profecto est.

SAGARISTIO.

Esse eum opinor.

TOXILVS.

Congrediar.

SAGARISTIO.

Contra adgrediar. as. ex t. d. et i. d. c.

TOXILVS.

O Sagaristio, di ament te.

SAGARISTIO.

O Toxile, di dabunt, quae exoptes. Vt vales?

TOXILVS.

Vt queo.

SAGARISTIO.

Quid agitur?

TOXILVS.

Vivitur. c. t.

SAGARISTIO.

Satisne ergo ex sententia?

TOXILVS.

Si eveniunt, quae exopto: satis. i. t.

SAGARISTIO.

Nimis stulte amicis utere.

TOXILVS.

Quid iam?

SAGARISTIO.

Imperare oportet. i. t. c.

TOXILVS.

Mihi quidem tu iam eras mortuos: quia non te visitavi.

SAGARISTIO.

Negotium edepol . . . .

TOXILVS.

Ferreum fortasse?

SAGARISTIO.

Plusculum annum
Fui praeferratus apud molas tribunus vapularis.

TOXILVS.

Vetus iam istaec militia est tua.

SAGARISTIO.

Satin' tu usque valuisti?

TOXILVS.

Haud probe. i. t.

SAGARISTIO.

Ergo edepol palles.

TOXILVS.

Saucius factus sum in Veneris proelio;
Cupido sagitta cor meum transfixit.

SAGARISTIO.

Iam servi hic amant?

TOXILVS.

Quid ergo faciam? disne advorser, quasi Titani? i. tr. h.
Cum dis belligerem, quibus sat esse non queam? i. s.

SAGARISTIO.

Vide modo, ulmeae catapultae tuom ne transfigant latus. t. t. c.

TOXILVS.

Basilice ago eleutheria.

SAGARISTIO.

Quid iam?

TOXILVS.

Quia herus peregri est.

SAGARISTIO.

Ain' tu? peregri est? t. t.

TOXILVS.

Tute si tibi bene esse pati potes: veni. Vives mecum:
Basilico accipiere victu.

SAGARISTIO.

Vah, iam scapulae pruriunt, t. t. c.
Quia ted istaec audivi loqui.

TOXILVS.

Sed hoc med unum excruciat . . . . t. t.

SAGARISTIO.

Quidnam id est?

TOXILVS.

Haec dies summa hodie est, liberan' mea siet amica, an
Sempiternam servitutem serviat.

SAGARISTIO.

Quid nunc vis ergo?

TOXILVS.

Tuom tibi me facere potis es sempiternum.

SAGARISTIO.

Quemadmodum? t. t. c.

TOXI-

TOXILVS.

Vt mihi des numos sexcentos, quos pro capite illius pendam, t. t.
Quos continuo tibi reponam hoc triduo aut quatriduo. t. t. c.
Age, fi benignus! subveni! i. d.

SAGARISTIO.

Qua tu confidentia rogare a med argentum tantum t. t.
Audes, inpudens? Quin si egomet totus veneam, vix recipi
Potis est, quod tu me rogas: nam tu aquam a pumice postulas nunc,
Qui ipsus sitiat.

TOXILVS.

Sicne hoc te mihi facere?

SAGARISTIO.

Quid faciam?

TOXILVS.

Rogas? t. t. c.
Alicunde exora mutuom.

SAGARISTIO.

Tu fac idem, quod rogas me. i. t. c.

TOXILVS.

Quaesivi; nusquam reperi.

SAGARISTIO.

Quaeram equidem, si quis credat.

TOXILVS.

Nempe habeo in mundo?

SAGARISTIO.

Si id domi esset mihi: iam pollicerer.
Hoc meum est, ut faciam sedulo.

TOXILVS.

Quidquid erit, recipe te ad me.
Quaero tamen ego item sedulo.

SAGARISTIO.

Si quid erit: iam scies.

TOXILVS.

Obsecro i. t.
Resecroque te, operam da hanc mihi fidelem!

SAGARISTIO.

Ah, odio me enicas!

TOXILVS.

Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.
i. t. c.

SAGARISTIO.

At pol ego abs te concessero.

TOXILVS.

Iam abis? Bene ambulato.
Sed recipe, quam primum potes! cave mihi quaestioni
Fuas! Vsque ero domi, malum dum excoxero lenoni.

SATVRIO.

Veterem atque antiquom quaestum, quaesitum malo,
Servo atque obtineo et magna cum cura colo:
Nam nunquam quisquam meorum maiorum fuit,
Quin parasitando paverint ventres suos;
Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos,
Quasi mures, semper edere alienum cibum,
Neque edacitate eos quisquam poterat vincere,

Neque his cognomen erat duris capitonibus.
Vnde hunc ego quaestum obtineo et maiorum locum;
Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periclo ire aliena ereptum bona;
Neque illi, qui faciunt, mihi placent (plane loquor):
Nam publicae re causa quicunque id facit
Mage, quam sui quaesti, animus induci potest,
Eum esse civem et fidelem et bonum;
Sed legirupa, qui damnet, duit in publicum
Dimidium. Atque est etiam in ea lege adscribier:
Vbi quadruplator quempiam iniexit manum,
Tantidem ille illi rursus iniiciat manum:
Vti aequa parti prodeant ad Trisviros.
Si id fiat: nae isti faxim nusquam adpareant,
Qui hic albo reted aliena oppugnant bona.
Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
Vbi sunt magistratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo: visam hesternas reliquias,
Quierint recte, nec ne; num fuerit febris;
Opertaen' fuerint: ne quis obreptaverit.
Sed aperiuntur aedes: remorandust gradus.

TOXILVS. SATVRIO.

TOXILVS.

Omnem rem inveni: ut sua sibi pecunia i. s. I, 3
Hodie illam faciat leno libertam suam.
Sed eccum parasitum, quoius mi auxilio est opus.
Simulabo, quasi non videam: ita adliciam virum.

Curate istic vos atque adproperate ocius:
Ne mihi morae sit quidquam, ubi ego intro advenero!
Conmisce mulsum! struthea coluteaque adpara,
Bene ut in scutris concaleant, et calamum iniice!
Iam pol ille hic aderit, credo, congerro meus.

SATVRIO.

Me dicit! euge!

TOXILVS.

Lautum credo a balineis
Iam hic adfuturum.

SATVRIO.

Vt ordine omnem rem tenet!

TOXILVS.

Collyrae facite ut madeant et colliphia:
Incocta ne mihi detis.

SATVRIO.

Rem loquitur meram:
Nihil sunt crudae, nisi, quas madidas glutias.
Tum nisi cremore crasso est ius collyricum:
Nihil est macrum illud epicrocum perlucidum.
Quasi iuream esse ius decet collyricum.
Nolo in vesicam quod eat, in ventrem volo.

TOXILVS.

Prope me hic nescio quis loquitur.

SATVRIO.

Te, o mi Iupiter
Terrester, coëpulonus conpellat tuos.

TOXILVS.

O Saturio, opportune advenisti mihi!

SATVRIO.

Mendacium edepol dicis, atque haut te decet:
Nam Esurio venio, non advenio Saturio.

TOXILVS.

At edes iam: nam intus ventris fumant focula.
Calefieri iussi reliquias.

SATVRIO.

Pernam quidem
Ius est adponi frigidam postridie.

TOXILVS.

Ita fieri iussi.

SATVRIO.

Ecquid halecis?

TOXILVS.

Vah, rogas?

SATVRIO.

Sapis multum ad Genium.

TOXILVS.

Sed ecquid meministi tu, here
Qua de re ego tecum mentionem feceram?

SATVRIO.

Memini: ut muraena et conger ne calefierent:
Nam nimio melius oppectuntur frigida.
Sed quid cessamus proelium conmittere?
Dum mane est, omnis esse mortalis decet.

TOXILVS.

Nimis pene mane est.

SATVRIO.

Mane quod tu occeperis
Negotium agere, id totum procedit diem.

TOXILVS.

Quaeso, animum advorte huc. Iam here narravi tibi
Tecumque oravi, ut numos sexcentos mihi
Dares utendos mutuos.

SATVRIO.

Memini et scio,
Et te me orare, et mihi non esse, quod darem.
Nihili parasitust, quoi quidem argentum est domi:
Lubido extemplo coepere est convivium,
Tuburcinari de suo, si quid domi est.
Cynica esse e gente oportet parasitum probum:
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat; inibi paulum praesidi,
Qui familiarem vitam suam oblectet modo.

TOXILVS.

Iam nolo argentum: filiam utendam tuam
Mihi da.

SATVRIO.

Nunquam edepol quoiquam etiam utendam dedi.

TOXILVS.

Non ad istoc, quod tu insimulas.

SATVRIO.

Quid eam vis?

TOXILVS.

Scies:
Quia forma lepida et liberali est.

SATVRIO.

Res ita est.

TOXILVS.

Hic leno neque te novit neque gnatam tuam.

SATVRIO.

Me ut quisquam norit, nisi ille, qui praebet cibum!

TOXILVS.

Ita est. Hoc tu reperire mi argentum potes.

SATVRIO.

Cupio hercle.

TOXILVS.

Tum tu me sine illam vendere.

SATVRIO.

Tun' illam vendas?

TOXILVS.

Imo alium adlegavero,
Qui vendat, qui peregrinum se esse praedicet;
Sicut istic leno sex huc menses Megaribus
Nondum est quom conmigravit.

SATVRIO.

Pereunt reliquiae.
Posterius tamen istuc potest.

TOXILVS.

Scin', quam potest?
Nunquam hercle hodie hic prius edes, ne frustra sies,
Quam, te hoc facturum, quod rogo, adfirmas mihi;
Atque nisi gnatam tecum huc iam quantum potest
Adducis: exigam hercle ego te ex hac decuria.
Quid nunc? quid est? quin dicis, quid facturus sis?

SATVRIO.

Quaeso hercle, me quoque etiam vendas, si lubet,
Dum saturum vendas.

TOXILVS.

Hoc si facturus, face.

SATVRIO.

Faciam equidem, quae vis.

TOXILVS.

Bene facis. Propere abi domum:
Praemonstra docte, praecipe astu filiae,
Quid fabuletur: ubi se natam praedicet;

Qui sibi parentes fuerint, subrepta unde sit.
Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet;
Et ut adfleat, quom ea memoret.

SATVRIO.

Etiam tu taces?
Ter tanto peior ipsa est, quam illam tu esse vis.

TOXILVS.

Lepide hercle dicis. Sed scin', quid facias? Cape
Tunicam atque zonam, et chlamydem adferto et causiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat....

SATVRIO.

Heu probe!

TOXILVS.

Quasi sit peregrinus.

SATVRIO.

Laudo.

TOXILVS.

Tum gnatam tuam
Ornatam adduce lepide in peregrinum modum.

SATVRIO.

Πόθεν ornamentad?

TOXILVS.

Abs chorago sumito.
Dare debet: praebenda Aediles locaverunt.

SATVRIO.

Iam faxo hic aderunt. Sed ego horumce nihil scio.

TOXILVS.

Nihil hercle vero. Nam ubi ego argentum accepero:
Continuo tu illam a lenone adserito manu.

SATVRIO.

Sibi habeat, si non extemplo ab eo abduxero.

TOXILVS.

Abi et istuc cura. Interibi ego puerum volo
Mittere ad amicam meam: ut habeat animum bonum:
Med esse ecfecturum hodie. Nimis longum loquor.

SOPHOCLIDISCA. LEMNISELENE.

SOPHOCLIDISCA.

Satius fuit, indoctae, inmemori, insipienti dicere totiens; as. ex t. d. et i. d. c. II, 1.
Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam.
Quamquam ego vinum ecbibo; at una mandata non consuevi.
Me quidem iam satis tibi spectatam censueram esse et meos mores:
Nam equidem te iam sector quintum hunc annum, quom interea, credo,
Cucus si in ludum iret, posset iam, ut literas probe sciret,
Quom interim tu ingenium meum fans non edidicisti atque infans.
Potin' ut taceas? potin' ne moneas? Scio et calleo et conmemini:
Pol amas misera; id tuos scatet animus. Tibi istuc placidum ut sit, faciam.

LEMNISELENE.

Miser est, qui amat.

SOPHOCLIDISCA.

Certo is nihili quidem, qui nihil amat. Quid

Ei homini opus vita? — Ire decet med: herae obsequens ut fiam:
Libera mea opera ocius ut sit. Conveniam hunc Toxilum: eius
Auris, quae mandata, onerabo. t. d.

TOXILVS. PAEGNIVM. SOPHOCLIDISCA.

TOXILVS.

Satin' haec tibi sunt plana et certa? satin' haec meministi et tenes? t. t. c. II, 2

PAEGNIVM.

Melius, quam qui docuisti.

TOXILVS.

Aiin' vero, verbereum caput?

PAEGNIVM.

Aio enimvero.

TOXILVS.

Quid ergo dixi?

PAEGNIVM.

Ego recte apud illam dixero.

TOXILVS.

Non edepol scis.

PAEGNIVM.

Da hercle pignus, ni omnia memini et scio.

TOXILVS.

Equidem, si scis tute, quot habeas hodie digitos in manu,
Eo dem pignus tecum.

PAEGNIVM.

Audacter, si lubido est perdere.

TOXILVS.

Bona pax sit potius.

PAEGNIVM.

Tum tu igitur sine me ire.

TOXILVS.

Et iubeo et sino.

Sed ita volo curare, ut domi sis, quom ego te esse illi censeam.

PAEGNIVM.

Faciam.

TOXILVS.

Quo ergo is nunc?

PAEGNIVM.

Domum: uti domi sim, quom illi censeas.

TOXILVS.

Scelus tu pueri es, atque ob istanc rem aliquid te ego peculiabo. t. t.

PAEGNIVM.

Scio, fide hercle herili ut soleat inpudicitia opprobrari,
Nec subigi queántur unquam, ut pro fido habeant indicem. t. t. c.

TOXILVS.

Abi modo.

PAEGNIVM.

Ego laudabis faxo.

TOXILVS.

Sed has tabellas, Paegnium,
Ipsi Lemniselenae fac des et, quae iussi, nuntiato. t. t.

SOPHOCLIDISCA.

Cesso ire ego, quo missa sum? t. d. c.

PAEGNIVM.

Eo ego.

TOXILVS.

I sane; ego domum ibo. Face rem hanc cum cura geras! t. t. c.
Vola curriculo!

PAEGNIVM.

Istuc marinus passer per circum solet.
Ille hinc abiit intro huc. Sed quis haec est, quae me advorsum incedit? t. t.

SOPHOCLIDISCA.

Paegnium hic quidem est.

PAEGNIVM.

Sophoclidisca haec peculiarist eius,
Quo ego sum missus.

SOPHOCLIDISCA.

Nullus esse peior hoc puero perhibetur
Hodie. Conpellabo.

PAEGNIVM.

Conmorandum est apud hanc obicem. t. t. c.

SOPHOCLIDISCA.

Paegnium, deliciae pueri, salve, quid agis? ut vales?

PAEGNIVM.

Sophoclidisca, di me amabunt.

SOPHOCLIDISCA.

Quid med? utrum?

PAEGNIVM.

Hercle te,
Si, uti digna es, faciant, odio hercle habeant et faciant male.

SOPHOCLIDISCA.

Mitte male loqui.

PAEGNIVM.

Quom, ut digna es, dico: bene, non male, loquor.

SOPHOCLIDISCA.

Quid agis?

PAEGNIVM.

Feminam scelestam te, adstans contra, contuor.

SOPHOCLIDISCA.

Certe equidem puerum peiorem, quam te, novi neminem.

PAEGNIVM.

Quid mali facio aut quoi male dico?

SOPHOCLIDISCA.

Quoi pol cunque occasio est.

PAEGNIVM.

Nèmo homo ita arbitratust unquam.

SOPHOCLIDISCA.

At pol multi esse ita sciunt.

PAEGNIVM.

Heia!

SOPHOCLIDISCA.

Heia!

PAEGNIVM.

Tuo ex ingenio mores alienos probas.

SOPHOCLIDISCA.

Fateor ego esse profecto me, ut decet lenonis familiae.

PAEGNIVM.

Satis iam dictum habeo.

SOPHOCLIDISCA.

Sed quid tu? confitere, ut te autumo?

PAEGNIVM.

Fatear, si ita sim.

SOPHOCLIDISCA.

Iam abi: vicisti.

PAEGNIVM.

Abi nunc ïam.

SOPHOCLIDISCA.

Ergo hoc mi expedi,

Quo te agis?

PAEGNIVM.

Quo tu?

SOPHOCLIDISCA.

Dic tu: prior rogavi.

PAEGNIVM.

At post scies.

SOPHOCLIDISCA.

Eo quidem hinc haud longe ego.

PAEGNIVM.

Et quidem haud longe ego.

SOPHOCLIDISCA.

Quo ergo, scelus?

PAEGNIVM.

Ni sciero prius ex te: tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, scies.

SOPHOCLIDISCA.

Nunquam ecastor hodie scibis, priusquam ex ted audivero.

PAEGNIVM.

Itane est?

SOPHOCLIDISCA.

Itane est?

PAEGNIVM.

Mala!

SOPHOCLIDISCA.

Scelestus!

PAEGNIVM.

Decet me.

SOPHOCLIDISCA.

Et me quidem addecet.

PAEGNIVM.

Quid ais? certumne est celare, quo iter facias, pessuma?

SOPHOCLIDISCA.

Obfirmastin' occultare, quo te inmittas, pessume?

PAEGNIVM.

Par pari respondes dicto: abi iam, quando ita certa rest.
Nihili facio scire. Valeas.

SOPHOCLIDISCA.

Adsta!

PAEGNIVM.

At propero.

SOPHOCLIDISCA.

Et pol ego item.

PAEGNIVM.

Ecquid habes?

SOPHOCLIDISCA.

Ecquid tu?

PAEGNIVM.

Nil quidem.

SOPHOCLIDISCA.

Cedo manum ergo.

PAEGNIVM.

Estne haec manus?

SOPHOCLIDISCA.

Vbi illa est furtifica altera, laeva?

PAEGNIVM.

Domi eccam: huc nullam attuli.

SOPHOCLIDISCA.

Nescio quid habes.

PAEGNIVM.

Ne me attrecta, subagitatrix!

SOPHOCLIDISCA.

Sin te amo?

PAEGNIVM.

Male operam locas.

SOPHOCLIDISCA.

Qui?

PAEGNIVM.

Quia enim nihil amas, quom ingratum amas.

SOPHOCLIDISCA.

Temperi hanc vigilare oportet formulam atque aetatulam:
Ne, ubi vorsipellis fias, foede semper servias.
Tu quidem haud etiam es octoginta pondo.

PAEGNIVM.

At confidentia
Militia illa militatur multo mage, quam pondere.
At ego hanc operam perdo.

SOPHOCLIDISCA.

Quid iam?

PAE-

PAEGNIVM.

Quia peritis praedico.

Sed ego cesso.

SOPHOCLIDISCA.

Mane.

PAEGNIVM.

Molesta es.

SOPHOCLIDISCA.

Ergo ero quoque, nisi scio,

Quo agas te.

PAEGNIVM.

Ad vos.

SOPHOCLIDISCA.

Et pol ego ad vos.

PAEGNIVM.

Quid eo?

SOPHOCLIDISCA.

Quid id ad te attinet?

PAEGNIVM.

Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio.

SOPHOCLIDISCA.

Odiosus's.

PAEGNIVM.

Lubet.

Nunquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis peior,
quam ego siem.

SOPHOCLIDISCA.

Malitia certare tecum miseria est.

PAEGNIVM.

Merx tu mala es.

SOPHOCLIDISCA.

Quid id est, quod metuas?

PAEGNIVM.

Idem istuc, quōd tu.

SOPHOCLIDISCA.

Dic ergo . . . .

PAEGNIVM.

Dic ergo. t. t.

Ne hoc quoiquam homini edicerem, omnes muti ut loquerentur prius, t. t. c.

Edictum est magnopere mi.

SOPHOCLIDISCA.

Et mihi, ne quoiquam homini crederem,

Omnes muti uti loquerentur prius hoc, quam ego.

At tu hoc face:

Fide data credamus.

PAEGNIVM.

Novi. Omnes sunt lenae levifidae, i. t.

Neque tipullae levius pondust quam fide lenoniae. t. t. c.

SOPHOCLIDISCA.

Dic, amabo.

PAEGNIVM.

Dic, amabo.

SOPHOCLIDISCA.

Nolo ames.

PAEGNIVM.

Facile inpetras.

SOPHOCLIDISCA.

Tecum habeto.

PAEGNIVM.

Et tu hoc taceto.

SOPHOCLIDISCA.

Tacitum erit.

PAEGNIVM.

Celabitur.

SOPHOCLIDISCA.

Toxilo has fero tabellas, tuo hero.

PAEGNIVM.

Abi: eccillum domi.

Ast ego hanc ad Lemniselenem, tuam heram, obsignatam abietem.

SOPHOCLIDISCA.

Quid istic scriptum?

PAEGNIVM.

Iuxta tecum, si tu nescis, nescio,
Nisi fortasse blanda verba.

SOPHOCLIDISCA.

Abeo.

PAEGNIVM.

Atque ego abiero.

SOPHOCLIDISCA.

Ambula.

SAGARISTIO.

Opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti, t. t. II, 3
Opes, spes, bonas copias commodanti, b. t.
Lubens vitulorque merito: b. tr. c.
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam as. ex t. d. et i. d. br.
Mutui dat nunc argenti: uti egenti opem adferam;
Quod ego non mage somniabam neque opinabar neque censebam, t. t.

Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de coelo.
Nam herus meus me Eretriam misit: domitos boves ut sibi mercarer;
Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit die esse septimi, t. t. c.
Stultus, qui hoc mihi daret argentum, quoius ingenium noverat:
Nam hoc argentum abutar alibi; boves quos emerem, non erant.
Nunc et amico prosperabo et Genio meo bona multa faciam! t. t.
Diu quo bene sit, die uno absolvam! Tax tax tergo erit. Non curo:
Nam amico homini bobus domitis mea ex crumena largiar: t. t. c.
Nam id demum lepidum est, triparcos, vetulos, avidos, aridos,
Bene admordere, qui alliatum servo obsignant cum sale. i. t.
Virtust, occasio ubi admonet, dispicere. Quid faciet mihi?
Verberibus caedi iussit, conpedes inponi. Vapulet!
Ne sibi me credat supplicem fore! Vae illi! mihi iam nil novi
Obferri potis est, quin sim peritus. as. ex 2 i. h.
Sed Toxili puerum Paegnium eccum!

PAEGNIVM. SAGARISTIO.

PAEGNIVM.

Pensum, quod datum est, confeci; nunc prodeo domum.

SAGARISTIO.

Mane, etsi properas, t. t. II, 4.
Paegnium! ausculta!

PAEGNIVM.

Emere oportet, quem obedire tibi velis. t. t. c.

SAGARISTIO.

Adsta!

PAEGNIVM.

Exhibeas molestiam, ut opinor, si quid debeam, i. t.
Qui nunc tamen sic es molestus.

SAGARISTIO.

Scelerate, etiam respicis?

PAEGNIVM.

Scio ego, quid sim aetatis: eo istuc maledictum inpune auferes. t. t. c.

SAGARISTIO.

Vbi Toxilus est, tuos herus?

PAEGNIVM.

Vbi lubet illi, neque te consulit. i. t.

SAGARISTIO.

Etiam dicis, ubi est, venefice?

PAEGNIVM.

Nescio, inquam, ulmitriba tu. t. t. c.

SAGARISTIO.

Maledicis maiori.

PAEGNIVM.

Prior promeritus perpetiare. i. t. c.

Servam operam, linguam liberam herus me iussit habere.

SAGARISTIO.

Dicisne mi, ubi sit Toxilus?

PAEGNIVM.

Dico, ut perpetuo pereas.

SAGARISTIO.

Caedere tu hodie restibus.

PAEGNIVM.

Tua quidem, cucule, causa!
Non hercle, si os praeciderim tibi, metuam, morticine.

SAGARISTIO.

Video ego te, iam incubitatus es.

PAEGNIVM.

Ita sum. Quid id attinet ad te?
At non sum ita, ut tu, gratiis.

SAGARISTIO.

Confidens!

PAEGNIVM.

Sum hercle vero:
Nam ego me confido liberum fore, tu te nunquam speres.

SAGARISTIO.

Potin', ut molestus ne sies?

PAEGNIVM.

Quod dicis, facere non quis.

SAGARISTIO.

Abi in malam rem!

PAEGNIVM.

At tu domum: nam ibi tibi parata praes est.

SAGARISTIO.

Vadatur hic me.

PAEGNIVM.

Vtinam vades desint, in carcere ut sis!

SAGARISTIO.

Quid hoc?

PAEGNIVM.

Quid est?

SAGARISTIO.

Etiam, scelus, male loquere?

PAEGNIVM.

Tandem ut liceat,
Quom servos sis, servom tibi maledicere.

SAGARISTIO.

Itane? Specta!
Quin dedero . . . .

PAEGNIVM.

Nil: nam nil habes.

SAGARISTIO.

Di deaeque te omnes perdant,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis!

PAEGNIVM.

Amicus sum: eveniant volo tibi, quae optas. Atque id fiat,
Tu ut me defigas; te cruci ipsum propediem alii adfigent.

SAGARISTIO.

Quin te di deaeque . . . . Scis, quid hinc porro dicturus fuerim,
Ni linguae moderari queam. Potin', abeas?

PAEGNIVM.

Abigis facile:
Nam iam umbra mea intus vapulat.

SAGARISTIO.

Vt istunc di deaeque perdant!
Tamquam proserpens bestia, est bilinguis et scelestus.
Hercle illum abiisse gaudeo. Foris aperite! Ecce autem,
Quem convenire maxume cupiebam, egreditur intus!

TOXILVS. SAGARISTIO. SOPHOCLIDISCA.

TOXILVS.

Paratum iam esse dicito, unde argentum sit futurum. i. t. c. II, 5
Iubeto habere animum bonum: dic me illam amare multum.
Vbi se adlevat, ibi me adlevat. Quae dixi ut nuntiares,
Satin' ea tenes?

SOPHOCLIDISCA.

Mage calleo, quam aprugnum callum callet.

TOXILVS.

Propere abi domum.

SAGARISTIO.

Nunc huic ego graphice facetus fiam:
Subnixis alis me inferam atque amicibor gloriose.

TOXILVS.

Sed quis hic ansatus ambulat?

SAGARISTIO.

Magnifice conscreabor.

TOXILVS.

Sagaristio hic quidem est. Quid agitur, Sagaristio? ut valetur?
Ecquid, quod mandavi tibi, est nunc in te speculae?

SAGARISTIO.

Adito:
Videbitur: factum volo. Venito! promoveto!

TOXILVS.

Quid hoc hic in collo tibi tumet?

SAGARISTIO.

Vomica est: pressare parce:
Nam ubi qui mala tetigit manu, dolores cooriuntur.

TOXILVS.

Quando istaec innata est tibi nam?

SAGARISTIO.

Hodie.

TOXILVS.

Secari iubeas.

SAGARISTIO.

Metuo, ne inmaturam secem: ne exhibeat plus negoti.

TOXILVS.

Inspicere morbum tuom lubet, Sagaristio.

SAGARISTIO.

Abi atque cave, sis,
A cornu.

TOXILVS.

Quid iam?

SAGARISTIO.

Quia boves bini hic sunt in crumena.

TOXILVS.

Emitte, sodes: ne enices fame! sine ire pastum.

SAGARISTIO.

Enim metuo, ut possim reicere in bubilem: ne vagentur.

TOXILVS.

Ego reiiciam: habe animum bonum.

SAGARISTIO.

Credetur; commodabo.
Sequere hac, sis: argentum hic inest, quod dudum me rogasti.

TOXILVS.

Quid tu ais?

SAGARISTIO.

Dominus me boves mercatum Eretriam misit;
Nunc mi Eretria erit haec tua domus.

TOXILVS.

Nimis tu facete loquere;
Atque omne ego argentum tibi actutum incolume redigam:
Nam iam omnis sycophantias instruxi et conparavi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum . . . .

SAGARISTIO.

Tanto melior.

TOXILVS.

Et mulier ut sit libera, atque ipse ultro duit argentum.
Sed sequere me: ad eam rem usus est tua mihi opera.

SAGARISTIO.

Vtere, ut vis.

SATVRIO. VIRGO.

SATVRIO.

Quae res bene vortat mi et tibi et ventri meo,
i. s. III, 1
Perennitatisque adeo huic perpetuo cibo:
Vt mihi supersit, suppetat, superstitet.
Sequere hac, mea gnata, me cum dis volentibus.
Quoi re opera detur, scis, tenes, intellegis:
Communicavi tecum consilia omnia.
Ea causa ad hoc exemplum te exornavi ego:
Venibis tu hodie, virgo.

VIRGO.

Amabo, mi pater,
Quamquam lubenter escis alienis studes,
Tuin' ventris causa filiam vendis tuam?

SATVRIO.

Mirum, quin regis Philippi causa aut Attali
Te potius vendam, quam mea, quae sis mea.

VIRGO.

Vtrum pro ancilla me habes, an pro filia?

SATVRIO.

Vtrum hercle magis in ventris rem videbitur:
Meum, opinor, imperium in te, non in me tibi est.

VIRGO.

Tua istaec potestas est, pater; verumtamen,
Quamquam res nostrae sunt, pater, pauperculae,
Modice et modeste meliust vitam vivere:
Nam si ad paupertatem admigrant infamiae:
Gravior paupertas fit, fides sublestior.

SATVRIO.

Enimvero odiosa es.

VIRGO.

Non sum neque me esse arbitror,
Quom parva natu recte praecipio patri:
Nam inimici famam non ita, ut nata est, ferunt.

SATVRIO.

Ferant eantque in maxumam malam crucem!
Non ego omnis inimicitias pluris aestumo,
Quam mensa inanis nunc si adponatur mihi.

VIRGO.

Pater, hominum inmortalis est infamia;
Etiam tum vivit, quom esse credas mortuam.

SATVRIO.

Quid? metuis, ne te vendam?

VIRGO.

Non metuo, pater;
Verum insimulari nolo.

SATVRIO.

At nequidquam nevis:
Meo modo istuc potius fiet, quam tuo
Fiat. Quae haec res sunt?

VIRGO.

Cogita hoc verbum, pater.
Herus si minatus est malum servo suo:
Tametsi id futurum non est, ubi captum est flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta adficitur miseria!
Ego nunc, quod non futurum est, formido tamen.

SATVRIO.

Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quae praeter sapiet, quam placet parentibus.

VIRGO.

Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quae reticet, si quid fieri pervorse videt.

SATVRIO.

Malo cavere meliust te.

VIRGO.

At si non licet
Cavere, quid agam? nam ego tibi cautum volo.

SATVRIO.

Malusne ego sum?

VIRGO.

Non, neque me dignum est dicere;
Verum ei re operam do, ne alii dicant, quibus licet.

SATVRIO.

Dicat, quod quisque volt; ego de hac sententia
Non demovebor.

VIRGO.

At, meo si liceat modo,
Sapienter potius facias, quam stulte.

SATVRIO.

Lubet.

VIRGO.

Lubere per me tibi licere intellego;
Verum lubere haud liceat, si lubeat mihi.

SATVRIO.

Futura es dicto obediens, an non, patri?

VIRGO.

Futura.

SATVRIO.

Scis nam, tibi quae praecepi?

VIRGO.

Omnia.

SATVRIO.

Et id, ut subrepta fueris?

VIRGO.

Docte calleo.

SATVRIO.

Et qui parentes fuerint?

VIRGO.

Habeo in memoria.
Necessitate me, mala ut fiam, facis;
Verum videto, ubi me voles nuptum dare,
Ne haec fama faciat repudiosas nuptias.

SATVRIO.

Tace, stulta: non tu nunc hominum mores vides,
Quoiusmodi hic cum fama facile nubitur?
Dum dos sit: nullum vitium vitio vortitur.

VIRGO.

Ergo istuc facito ut veniat in mentem tibi,
Me esse indotatam.

SATVRIO.

Cave, sis, tu istuc dixeris,
Nec te indotatam dicas, quoi dos sit domi.
Pol deum virtute dicam et maiorum meum)
Librorum eccillum habeo plenum soracum.
Si hoc adcurassis lepide, quoi re operam damus:
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi,
Atque Attici omnes, nullum Siculum acceperis.
Cum hac dote poteris vel mendico nubere.

VIRGO.

Quin tu me ducis, si quo ducturus, pater?
Vel tu me vende, vel face, quod tibi lubet.

SATVRIO.

Bonum aequomque oras. Sequere hac.

VIRGO.

Dicto sum audiens.

DORDALVS.

Quidnam esse acturum hunc dicam vicinum meum, i. s. III, 2
Qui mihi iuratust, sese hodie argentum dare?
Quodsi non dederit atque hic dies praeterierit:
Ego argentum, ille iusiurandum amiserit.
Sed ibi concrepuit foris. Quisnam egreditur foras?

TOXILVS. DORDALVS.

TOXILVS.

Cura istuc intus; iam ego domum me recipiam. i. s. III, 3

DORDALVS.

Toxile, quid agitur?

TOXILVS.

Eho, lutum lenonium,
Conmixtum coeno, sterculinum publicum,
Inpure, inhoneste, iniure, inlex, labes popli,
Pecuniai accipiter avide atque invide,
Procax, rapax, trahax (trecentis versibus
Tuas inpuritias traloqui nemo potest),
Accipin' argentum? Accipe, sis, argentum, inpudens!
Tene, sis, argentum! etiam tu argentum tenes?
Possum te facere, ut argentum accipias, lutum,
Qui nisi iurato mihi nil ausus credere?

DORDALVS.

Sine respirare me: tibi ut respondeam.
Vir summe populi, stabulum servitutium,
Scortorum liberator, sudiculum flagri,

Conpedium tritor, pistrinorum civitas,
Perenniserve, lurco edax, furax, fugax,
Cedo, sis, mi argentum! da mihi argentum, inpudens!
Possum a te exigere argentum? argentum, inquam cedo!
Quin tu mi argentum reddis? nilne te pudet?
Leno te argentum poscit, solida servitus,
Pro liberanda amica: ut omnes audiant.

TOXILVS.

Tace, obsecro, hercle! nae tua vox valide valet!

DORDALVS.

Referundae ego habeo linguam natam gratiae.
Eodem mihi pretio sal praehibetur, quo tibi.
Nisi me haec defendet: nunquam delinget salem.

TOXILVS.

Iam omitto iratus esse. Id tibi suscensui,
Quia te negabas credere argentum mihi.

DORDALVS.

Mirum, quin tibi ego crederem: ut tu idem mihi
Faceres, quod passim faciunt argentarii!
Vbi quid credideris: citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta ludis quom emissust lepus.

TOXILVS.

Cape hoc, sis.

DORDALVS.

Quin das?

TOXILVS.

Numi sexcenti hic erunt
Probi, numerati: fac sit mulier libera,
Atque huc continuo adduce.

DORDALVS.

Iam faxo hic erit.
Non hercle, quoi nunc hoc dem spectandum, scio.

TOXI-

TOXILVS.

Fortasse metuis in manum concredere.

DORDALVS.

Mirum, quin. — Citius iam a foro argentarii
Abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur.

TOXILVS.

Abi istac advorsis angiportis ad forum;
Eadem istaec facito mulier ad me transeat
Per hortum.

DORDALVS.

Iam hic faxo aderit.

TOXILVS.

At ne propalam.

DORDALVS.

Sapienter sane.

TOXILVS.

Supplicatum cras eat.

DORDALVS.

Ita hercle vero.

TOXILVS.

Dum stas, reditum oportuit.

TOXILVS. SAGARISTIO. VIRGO.

TOXILVS.

Si quam rem adcures sobrie aut frugaliter, i. s.
IV, 1.
Solet illa recte sub manus succedere.
Atque edepol ferme, ut quisque rem adcurat suam,
Sic ei procedunt postprincipia denique.

Si malus aut nequam est: male res vortunt, quas agit;
Sin autem frugi est: eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus sum facete et callide:
Igitur bene proventuram confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Vt ipsus sese, qua se expediat, nesciat.
Sagaristio, heus, exi atque educe virginem,
Et istas tabellas, quas consignavi tibi,
Quas tu attulisti ab hero meo usque e Persia.

SAGARISTIO.

Numquid moror?

TOXILVS.

Euge, euge, exornatus basilice!
Tiara ut lepidam lepide condecorat schemam!
Tum hanc hospitam autem crepidula ut graphice decet!
Sed satin' estis meditati?

SAGARISTIO.

Tragici et Comici
Nunquam aeque sunt meditati.

TOXILVS.

Lepide hercle adiuvas.
Age, illuc abscede procul e conspectu et tace.
Vbi cum lenone me videbis conloqui,
Id erit adeundi tempus; nunc agite, ite vos.

DORDALVS. TOXILVS.

DORDALVS.

Quoi homini di propitii sunt, aliquid obiiciunt lucri. t. t. c. IV, 2
Nam ego hodie conpendi feci binos panes indies:

Ita mea ancilla quae fuit hodie, sua nunc est: argento vicit: t. t.
Iam hodie alienum coenabit, nil gustabit de meo. t. c. c.
Sumne probus, sum lepidus civis, qui Atticam hodie civitatem t. t.
Maxumam maiorem feci atque auxi civi femina? t. t. c.
Sed ut ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi,
Nec satis a quiquam homine accepi: ita prorsus credebam omnibus;
Nec metuo, quibus credidi hodie, ne qui in iure mi abiurassit. t. t.
Bonus volo iam ex hoc die esse; quod neque fiet neque fuit. t. t. c.

TOXILVS.

Hunc ego hominem hodie in transennam doctis inducam dolis;
Itaque huic insidiae paratae sunt probe: adgrediar virum.
Quid agis?

DORDALVS.

Credod.

TOXILVS.

Vnde agis te, Dordale?

DORDALVS.

Credo tibi.

TOXILVS.

Di dent, quae velis! Eho, iam manu emisisti mulierem?

DORDALVS.

Credo pol, credo, inquam, tibi.

TOXILVS.

Iam liberta auctus?

DORDALVS.

Enicas.

Quin tibi dico credere.

TOXILVS.

Dic bona fide: iam libera est?

DORDALVS.

I ad forum ad praetorem: exquaere, siquidem credere mihi non vis. t. t.
Libera, inquam, est. Ecquid audis?

TOXILVS.

At tibi di benefaciant omnes!
Nunquam enim posthac tibi nunc tuorum quod nolis volam. t. t. c.

DORDALVS.

Abi, ne iura: satis credo.

TOXILVS.

Vbi nunc tua liberta est?

DORDALVS.

Apud ted.

TOXILVS.

Aiin? t. t.
Apud me est?

DORDALVS.

Aio, inquam; apud ted est, inquam.

TOXILVS.

Ita me di ament, ut ob istanc rem
Multa tibi bona instant a me: nam est res quaedam, quam occultabam
Dicere tibi; nunc eam narrabo, unde tu pergrande lucrum as. ex t. d. et i. d. c.

Facias. Faciam, uti memineris mei, dum vitam vivas.

DORDALVS.

Benedictis tuis benefacta aures meae expostulant auxilium.

TOXILVS.

Tuom promeritum est, merito ut faciam. Et facturum ut scias: tabellas
Has tene; perlege.

DORDALVS.

Haec quid a me?

TOXILVS.

Imo ad te attinent; tua refert.
Namque e Persia ad me adlatae modo sunt istae a meo domino.

DORDALVS.

Quando?

TOXILVS.

Haud dudum.

DORDALVS.

Quid istaec narrant?

TOXILVS.

Ex ipsis percontare:
Ipsae tibi narrabunt.

DORDALVS.

Cedo sane mi.

TOXILVS.

At recitato clare.

DORDALVS.

Tace, dum perlego.

TOXILVS.

Verbum haud faciam. t. d.

DORDALVS.

„Salutem dicit Toxilo Timarchides i. s.
„Et familiae omni. Si valetis, gaudeo;
„Ego valeo recte et rem gero et facio lucrum,
„Neque isto redire his octo possum mensibus.
„Itaque hic est, quod me detinet, negotium:
„Eleusipolim Persae cepere in Arabia,
„Plenum bonarum rerum atque antiquom oppidum;
„Ea conparatur praeda, ut fiat auctio
„Publicitus: ea res me domo expertem facit.
„Operam atque hospitium ego isti praehiberi volo,
„Qui tibi tabellas adfert. Cura, quae is volet:
„Nam is honores mihi suae domi habuit maxumos."
Quid id ad me aut ad meam rem refert, Persae quid rerum gerant, i. t.
Aut quid herus tuos?

TOXILVS.

Tace, stultiloque: nescis, quid te instet boni.
Nequidquam tibi Fortuna faculam lucrificam adlucere volt.

DORDALVS.

Quae istaec est Fortuna lucrifica?

TOXILVS.

Istas, quae norunt, roga; t. t c.
Ego tantundem scio, quantum tu, nisi quod perlegi prior.
Sed, ut occoepisti, ex tabellis nosce rem.

DORDALVS.

Bene me mones.
Fac silentium.

TOXILVS.

Nunc ad illud venies, quod refert tua.

DORDALVS.

„Iste, qui tabellas adfert, adduxit simul i. s.
„Forma expetunda liberalem mulierem
„Furtivam, advectam ex Arabia penitissuma;
„Eam te volo adcurare, ut istic veneat;
„At suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
„Mancupio neque promittet neque quisquam dabit.
„Probum et numeratum argentum ut accipiat, face.
„Haec cura, et hospes cura ut curetur. Vale."

TOXILVS.

Quid igitur? postquam recitasti, quod erat cerae
creditum, t. t. c.
Iam mihi credis?

DORDALVS.

Vbi nunc ille est hospes, hasce qui attulit?

TOXILVS.

Iam hic, credo, aderit: arcessivit illam a navi.

DORDALVS.

Nil mi opust
Litibus neque tricis. Quamobrem numerem ego
argentum foras?
Nisi mancupio accipio, quid eo mihi opus merci-
monio?

TOXILVS.

Tacen', an non taces? Nunquam ego te tam esse
matulam credidi.
Quid metuis?

DORDALVS.

Metuo hercle vero: sensi ego iam conplu-
riens,

Neque mi haud inperito eveniet, tali ut in luto haeream.

TOXILVS.

Nil periculi videtur.

DORDALVS.

Scio istuc; sed metuo mihi.

TOXILVS.

Mea quidem nihil istuc refert; tua ego refero gratia:
Tibi uti recte conciliandi primo facerem copiam.

DORDALVS.

Gratiam habeo; sed te de aliis, quam alios de te, suaviust
Fieri doctos.

TOXILVS.

Ne quis vero ex Barbaria penitissuma
Persequatur! Etiam tu illam destinas?

DORDALVS.

Videam modo
Mercimonium.

TOXILVS.

Aequa dicis. Sed optume, eccum, ipse advenit
Hospes ille, qui has tabellas attulit.

DORDALVS.

Hiccine est?

TOXILVS.

Hic est.

DORDALVS.

Haeccine illa est furtiva virgo?

TOXILVS.

Iuxta tecum aeque scio,
Nisi quia adspexi. Et quidem edepol liberalist, quisquis est.

DORDALVS.

Sat edepol concinna facie est.

TOXILVS.

Vt contemtim carnufex! —
Taciti contemplemur formam.

DORDALVS.

Laudo consilium tuom.

SAGARISTIO. VIRGO. TOXILVS. DORDALVS.

SAGARISTIO.

Satin' Athenae tibi sunt visae fortunatae atque opiparae? t. t. c. IV, 3.

VIRGO.

Vrbis speciem vidi, mores hominum perspexi parum.

TOXILVS.

Numquid principio cessavit verbum docte dicere?

DORDALVS.

Haud potui etiam in primo verbo perspicere sapientiam.

SAGARISTIO.

Quid id, quod vidisti? ut munitum muro tibi visum oppidum est? i. t.

VIRGO.

Si incolae bene sunt morati: pulcre munitum arbitror; t. t. c.
Perfidia et Peculatus ex urbe et Avaritia si exulant,

Quarta Invidia, quinta Ambitio, sextad Obtrectatio,
Septumum Periurium . . . .

TOXILVS.

Euge!

VIRGO.

Octava Indiligentia,
Nona Iniuria, decumum, quod pessumum adgressu, Scelus.
Haec ni aberunt: rebus servandis centuplex murus parum est.

TOXILVS.

Quid ais tu?

DORDALVS.

Quid vis?

TOXILVS.

Tu in illis es decem sodalibus:
Te in exilium ire hinc oportet.

DORDALVS.

Quid iam?

TOXILVS.

Quia periurus es.

DORDALVS.

Verba quidem haud indocte fecit.

TOXILVS.

Ex tuo, inquam, usu est: eme hanc.

DORDALVS.

Edepol quin, quom hanc mage contemplo, mage placet.

TOXILVS.

Si hanc emeris:
Di immortales! nullus leno te alter erit opulentior;
Evortes tuo arbitratud homines fundis, familiis;

Cum optumis viris rem habebis; gratiam cupient tuam;
Venient ad te comissatum.

DORDALVS.

At ego intromitti vetuero.

TOXILVS.

At enim illi noctu occentabunt ostium, exurent foris:
Proinde tu tibi iubeas concludi aedis foribus ferreis,
Ferreas aedis conmutes, limina indas ferrea,
Ferream seram atque anellum: ne, si ferro parseris,
Ferreas tibi tute inpingi iubeas crassas conpedis.

DORDALVS.

I in malum cruciatum!

TOXILVS.

I sane! — Hanc eme. Ausculta mihi.

DORDALVS.

Modo uti sciam, quanti indicet.

TOXILVS.

Vin' huc vocem?

DORDALVS.

Ego illo accessero.

TOXILVS.

Quid agis, hospes?

SAGARISTIO.

Venio; adduco istanc, ut dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu navis venit; venire hanc volo,
Si potest; si non potest: ire hinc volo, quantum potest.

DORDALVS.

Salvos sis, adulescens.

SAGARISTIO.

Si quidem hanc vendidero pretio suo.

TOXILVS.

Atqui aut hoc emtore vendes pulcre, aut alio non potes.

SAGARISTIO.

Esne tu huic amicus?

TOXILVS.

Tanquam di omnes, qui coelum colunt.

DORDALVS.

Tum tu mi es inimicus certus: nam generi lenonio
Nunquam ullus deus tam benignus fuit, quin fuerit — propitius.

SAGARISTIO.

Hoc age. Opusne est hac tibi emta?

DORDALVS.

Si tibi venisse est opus,
Mihi quoque emta est; si tibi subiti nihil est, tantundem est mihi.

SAGARISTIO.

Indica; fac pretium.

DORDALVS.

Tua merx est: tua indicatio est.

TOXILVS.

Aequom hic orat.

SAGARISTIO.

Vin' bene emere?

DORDALVS.

Vin' tu pulcre vendere?

TOXILVS.

Ego scio hercle, utrumque velle.

DORDALVS.

Age, indica prognariter.

SAGARISTIO.

Prius dico: hanc mancupio nemo tibi dabit. Iam scis?

DORDALVS.

Scio.

Indica, minumo daturus qui sis, qui duci queat.

TOXILVS.

Tace, tace: nimis tu quidem hercle homo stultus es pueriliter.

DORDALVS.

Quid ita?

TOXILVS.

Quia enim te ex puella prius percontari volo,
Quae ad rem referunt . . . .

DORDALVS.

Atquin hercle tu me monuisti haud male.
Vide, sis: ille ego doctus leno pene in foveam decidi,
Ni hic adesses. Quantum est adhibere hominem amicum, ubi quid geras!

TOXILVS.

Quo genere aut qua in patria sit nata, aut quibus parentibus:
Ne temere hanc te emisse dicas, suasu atque inpulsu meo. —
Nisi molestum est, percontari hanc paucis hic volt.

SAGARISTIO.

Maxume,
Suo arbitratu.

TOXILVS.

Quid stas? adi, adi tute atque ipse itidem roga,
Vt tibi percontari liceat, quae velis, etsi mihi
Dixit dare potestatem eius; sed ego te malo tamen
Ipsum eum adire: ut ne contemnat te ille.

DORDALVS.

Satis recte mones.
Hospes, volo ego hanc percontari.

SAGARISTIO.

A terra ad coelum quidlubet.

DORDALVS.

Iubedum ea huc accedat ad me.

SAGARISTIO.

I sane ac morem illi gere. —
Percontare, exquaere, quidvis.

TOXILVS.

Age, age nunc tu, i prae. Vide, ut
Ingrediaris auspicato.

VIRGO.

Liquidum est auspicium.

TOXILVS.

Tace. —
Concede, sis: iam ego illam adducam.

DORDALVS.

Age, ut rem esse in nostram putas. i. t.

TOXILVS.

Sequere me. — Adduco hanc, si quid vis ex hac percontarier. t. t. c.

DORDALVS.

Enim volo te adesse.

TOXILUS.

Haud possum, quin huic operam dem hospiti,
Quoi herus iussit. Quid, si hic non volt me adesse una?

SAGARISTIO.

Imo i modo.

TOXILUS.

Do ego tibi operam.

DORDALUS.

Tibi ibidem das, ubi tu tuom amicum adiuvas.

TOXILUS.

Exquaere. — Heus tu, advigila.

VIRGO.

Satis est dictum. Quamquam ego serva sum:
Scio ego officium meum: ut, quae rogitet, vera, ut accepi, eloquar.

TOXILUS.

Virgo, probus est hic homo.

VIRGO.

Credo.

TOXILUS.

Non diu apud hunc servies.

VIRGO.

Ita pol spero, si parentes facient officium suom.

DORDALUS.

Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur
Aut patriam tuam, aut parentes.

VIRGO.

Cur ego id mirer, mi homo?
Servitus mea mi interdixit, ne quid mirer meum malum.

TOXILVS.

Divi istam perdant! ita cata est et callida. i. s.
Habet cor. Quam dicit, quod opust!

DORDALVS.

Quod nomen tibi est?

TOXILVS.

Nunc metuo ne peccet.

VIRGO.

Lucridi nomen in patria fuit. t. t. c.

TOXILVS.

Nomen atque omen quantivis est preti. Quin tu hanc emis? —
Nimis pavebam ne peccaret. Expedivit.

DORDALVS.

Si te emam:
Mihi quoque Lucridem confido fore te.

TOXILVS.

Tu si hanc emeris:
Nunquam hercle hunc mensem vortentem, credo, servibit tibi.

DORDALVS.

Ita velim quidem hercle.

TOXILVS.

Optata ut evenant, operam addito. —
Nihil adhuc peccavit etiam.

DORDALVS.

Vbi tu nata es?

VIRGO.

Vt mihi
Mater dixit, in culina, in angulo ad laevam manum.

TOXILVS.

Haec erit tibi fausta meretrix: nata est in calido loco,

Vbi

Vbi rerum omnium bonarum copia est sapidissuma. —
Tactust leno, qui rogarat, ubi nata esset, diceret.
Lepide lusit.

DORDALVS.

At ego patriam te rogo quae sit tua.

VIRGO.

Quae mihi sit, nisi haec, ubi nunc sum?

DORDALVS.

At ego illam quaero, quae fuit.

VIRGO.

Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit: quando fuit.
Tamquam hominem, quando animam ecflavit, quid eum quaeras, qui fuit?

TOXILVS.

Ita me di bene ament, sapienter! atque quidem miseret tamen.

DORDALVS.

Sed tamen, virgo, quae patria est tua? age, mi actutum expedi.
Quid taces?

VIRGO.

Dico equidem. Quando hic servio: haec patria est mea.

TOXILVS.

Iam de istoc rogare omitte. Non vides, nolle eloqui,
Ne se suarum miseriarum in memoriam inducas?

DORDALVS.

Quid est?
Captusne est pater?

VIRGO.

Non captus; sed, quod habuit, perdidit.

TOXILVS.

Haec erit bono genere nata: nil scit, nisi verum, loqui.

DORDALVS.

Quis fuit? dic nomen.

VIRGO.

Quid illunc miserum memorem, qui fuit?
Nunc et illunc Miserum et me Miseram aequom est nominarier.

DORDALVS.

Quoiusmodi est in populo is habitus?

VIRGO.

Nemo quisquam acceptior:
Servi liberique amabant.

TOXILVS.

Hominem miserum praedicas:
Quom ipsus perditus probe est et benevolentis perdidit.

DORDALVS.

Emam, opinor.

TOXILVS.

Etiam „Opinor?"

DORDALVS.

Summo genere esse arbitror.

TOXILVS.

Divitias tu ex istac facies.

DORDALVS.

Ita di faxint!

TOXILVS.

Eme modo.

VIRGO.

Iam hoc tibi dico: actutum ecastor meus pater, ubi me sciet
Venisse, aderit huc et abs te me redimet . . . .

TOXILVS.

Quid nunc?

DORDALVS.

Quid est?

TOXILVS.

Audin', quid ait?

VIRGO.

Nam etsi res sunt fractae, amici sunt tamen.

DORDALVS.

Ne, sis, plora: libera eris actutum, si crebro cades.
Vin' mea esse?

VIRGO.

Dum quidem ne nimis diu tua sim, volo.

TOXILVS.

Satin' ut meminit libertatis? Dabit haec tibi grandis bolos.
Age, si quid agis! Ego ad hunc redeo. — Sequere. — Reduco hanc tibi.

DORDALVS.

Adulescens, vin' vendere istanc?

SAGARISTIO.

Mage lubet, quam perdere.

TOXILVS.

Tum tu pauca in verba confer: qui datur, tanti indica.

SAGARISTIO.

Faciam ita, ut te velle video. Habe tibi centum minis.

DORDALVS.

Nimium est.

SAGARISTIO.

Octoginta.

DORDALVS.

Nimium est.

SAGARISTIO.

Numus abesse hinc non potest,
Quod nunc dicam.

DORDALVS.

Quid id est ergo? eloquere actutum atque indica.

SAGARISTIO.

Tuo periclo sexaginta haec dabitur argenti minis.

DORDALVS.

Toxile, quid ago?

TOXILVS.

Di deaeque te agitant irati, scelus,
Qui hanc non properes destinare!

DORDALVS.

Habebo.

TOXILVS.

Eu, praedatus probe!
[Abi, argentum effer huc.]
Non edepol minis trecentis cara est. Fecisti lucri.

SAGARISTIO.

Heus tu, etiam pro vestimentis huc decem accedent minae.

DORDALVS.

Abscedent enim, non accedent.

TOXILVS.

Tace, sis: non tu illunc vides

Quaerere ansam, infectum ut faciat? Abin' atque argentum petis?

DORDALVS.

Heus tu, serva istunc!

TOXILVS.

Quin tu intro is?

DORDALVS.

Abeo atque argentum adfero.

TOXILVS.

Edepol dedisti, virgo, operam adlaudabilem i. s.
Probam et sapientem et sobriam.

VIRGO.

Si quid bonis
Boni fit, esse idem et grave et gratum solet.

TOXILVS.

Audin' tu, Persa, ubi argentum hoc acceperis,
Simulato, quasi eas prorsum in navem.

SAGARISTIO.

Ne doce.

TOXILVS.

Per angiportum rursum te ad me recipito,
Illac per hortum.

SAGARISTIO.

Quod futurum est, praedicas.

TOXILVS.

At, ne cum argento protinam permutes domum,
Moneo te.

SAGARISTIO.

Quod te dignum est, me dignum esse vis?

TOXILVS.

Tace; parce voci: praeda progreditur foras.

DORDALVS.

Probae hic argenti sunt sexaginta minae.
Duobus numis minus.

SAGARISTIO.

Quid ei numi sciunt?

DORDALVS.

Crumenam hanc emere, aut facere uti remigret domum.

SAGARISTIO.

Ne non sat esses leno, id metuebas, miser,
Inpure, avare, ne crumenam amitteres?

TOXILVS.

Sine, quaeso: quando leno est, nil mirum facit.

DORDALVS.

Lucro faciundo ego auspicavi in hunc diem:
Nil mihi tam parvi est, quin me id pigeat perdere.
Age, accipe hoc, sis.

SAGARISTIO.

Hunc in collum, nisi piget,
Inpone.

DORDALVS.

Vero fiat.

SAGARISTIO.

Numquid ceterum
Me voltis?

TOXILVS.

Quid tam properas?

SAGARISTIO.

Ita negotium est:
Mandatae quae sunt, volo deferre epistolas;
Geminum autem fratrem servire audivi hic meum:
Eum uti requiram ego atque uti redimam, volo.

TOXILVS.

Atque edepol tute me conmonuisti haud male:
Videor vidisse hic forma persimilem tui,
Eadem statura.

SAGARISTIO.

Quippe qui frater siet.

DORDALVS.

Sed scire velimus, quod tibi nomen siet.

TOXILVS.

Quid attinet, nos scire?

SAGARISTIO.

Ausculta ergo, ut scias:
Vaniloquidorus Virginisvendonides,
Nugipalamloquides Argentiexterebronides,
Tedigniloquides, Numdesexpalponides,
Quodsemelarripides, Nunquameripides postea.

DORDALVS.

Heu hercle nomen multimodum scriptu est tuom.

SAGARISTIO.

Ita sunt Persarum mores: longa nomina
Contortiplicata habemus. Numquid ceterum
Voltis?

DORDALVS.

Vale.

SAGARISTIO.

Et vos. Iam animus in navi est meus.

DORDALVS.

Cras ires potius, hodie hic coenares. Vale.

TOXILVS.

Postquam illic abiit: dicere hic quidvis licet.
Nae, hic tibi dies inluxit lucrificabilis:
Nam non emisti hanc, verum fecisti lucri.

DORDALVS.

Ille quidem iam scit, quid negoti gesserit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit:
Argentum accepit, abiit; qui ego nunc scio,
An iam adservatur haec manu? quo illum sequar?
In Persas? Nugas.

TOXILVS.

Credidi gratum fore
Beneficium meum apud te.

DORDALVS.

Imo equidem gratiam
Tibi, Toxile, habeo: nam te sensi sedulo
Mihi dare bonam operam.

TOXILVS.

Tibin' ego? Imo; — sed mihi.

DORDALVS.

Attat! oblitus sum intus dudum edicere,
Quae volui edicta. Adserva hanc.

TOXILVS.

Salva est haec quidem.

VIRGO.

Pater nunc cessat.

TOXILVS.

Quid, si admoneam?

VIRGO.

Tempus est.

SATVRIO. TOXILVS. VIRGO.

TOXILVS.

Heus, Saturio, exi! nunc est illa occasio i. s. IV, 4
Inimicum ulcisci.

SATVRIO.

Ecce me! numquid moror?

TOXILVS.

Age, illuc abscede procul e conspectu et tace.
Vbi cum lenone me videbis conloqui:
Tum turbam facito.

SATVRIO.

Dictum sapienti sat est.

DORDALVS. TOXILVS.

DORDALVS.

Transcidi loris omnis adveniens domi, i. s. IV, 5
Ita mihi supellex squalet atque aedes meae.

TOXILVS.

Redis tu tandem?

DORDALVS.

Redeo.

TOXILVS.

Nae ego hodie bonam
Tibi vitam feci.

DORDALVS.

Fateor: habeo gratiam.

TOXILVS.

Num quidpiam aliud me vis?

DORDALVS.

Vt bene sit tibi.

TOXILVS.

Pol istuc quidem omne iam ego usurpabo domi:
Nam iam inclinabo me cum liberta tua.

SATVRIO. DORDALVS. VIRGO.

SATVRIO.

Nisi ego illunc hominem perdo: perii! Atque optume i. s. IV, 6
Eccum ipsum ante aedis!

VIRGO.

Salve multum, mi pater.

SATVRIO.

Salve, mea gnata.

DORDALVS.

Hei, Persa me pessumdedit!

VIRGO.

Pater hic meus est.

DORDALVS.

Hem, quid? pater? Perii oppido!
Quid ego igitur cesso infelix lamentarier
Minas sexaginta?

SATVRIO.

Ego pol te faciam, scelus,
Te quoque etiam ipsum ut lamenteris.

DORDALVS.

Occidi!

SATVRIO.

Age, ambula in ius, leno.

DORDALVS.

Quid me in ius vocas?

SATVRIO.

Illi apud praetorem dicam.

DORDALVS.

Sed ego . . . .

SATVRIO.

In ius voco.

DORDALVS.

Nonne antestaris?

SATVRIO.

Tuan' ego causa, carnufex,
Quoiquam mortali libero auris atteram,
Qui hic conmercaris civis homines liberos?

DORDALVS.

Sine dicam.

SATVRIO.

Nolo.

DORDALVS.

Audi.

SATVRIO.

Sum surdus. Ambula!
Sequere hac, scelesta feles virginaria!
Sequere hac, mea nata, me usque ad praetorem.

VIRGO.

Sequor.

TOXILVS. SAGARISTIO. LEMNISELENE.

TOXILVS.

Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis, t. t. V, 1
Bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis,
Cum bene, Iupiter, iuvisti, dique alii omnes coelipotentes,
Ea vobis gratis habeo atque ago: quia probe sum ultus meum inimicum.

Nunc ob eam rem inter participes dividam praedam et participabo.
Ite foras: hic volo ante ostium et ianuam meos participes bene accipere ego. Statuite hic c. o.
Lectulos! ponite hic, quae adsolent! c. tr.
Hic statui volo primum aquolam mihi, unde ego omnis hilaros, lubentis, t. t.
Laetificantis faciam ut fiant, quorum opera haec mihi facilia factu
Facta sunt, quae volui ecficere: nam improbus est homo, qui accipere
Scit beneficium et reddere nescit.

LEMNISELENE.

Toxile mi, ego cur sine te sum?
Cur tu autem sine me es?

TOXILVS.

Agedum ergo, accede, mea, ad me et amplecteris.

LEMNISELENE.

Ego vero. Oh, nihil mage dulce est! Sed amabo, oculus meus, quin lectis
Nos actutum conmendamus?

TOXILVS.

Omnia, quae tu vis, ea cupio.

LEMNISELENE.

Mutua fiunt a me.

TOXILVS.

Age, age ergo tu, Sagaristio, adcumbe in summo.

SAGARISTIO.

Nil moror; cedo parem, quam pepegi.

TOXILVS.

Temperi.

SAGARISTIO.

Mi istuc temperi sero est.

TOXILVS.

Hoc age: adcumbe! hunc diem süavem meum natalem agitemus amoenum!
Date aquam manibus! ponite mensam! do hanc tibi florentem florenti.
Tu hic eris dictatrix nobis. Age, puere, a summo septenis
Cyathis hos conmitte ludos! Paegnium, move manus! t. t. c.
Propera! tarde cyathos mihi das! Cedo sane! Bene mihi! bene vobis! t. t.
Bene amicae! bene omnibus nobis! Optatus mi hic dies datus hodie est
Ab dis: quia te licet amplecti liberam me.

LEMNISELENE.

Tua factum opera.
Hoc mea manus tuae poclum donat, amantem amanti uti decet. t. t. c.
Accipe!

TOXILVS.

Cedo! Bene ei, qui mi invidet, et, qui hoc gaudet gaudio!

DORDALVS. SAGARISTIO. LEMNISELENE. PAEGNIVM.

DORDALVS.

Qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, quique sunt futuri posthac, t. t. V, 2
Solus ego omnibus facile antideo, miserrumus hominum ut vivam.
Perii, interii! pessumus hic mihi dies hodie inluxit: conruptor
Ita me Toxilus perfabricavit, itaque meam rem divexavit.
Verriculum argenti miser eieci; neque, quamobrem eieci, habeo.
Qui illum Persam atque omnis Persas atque etiam omnis personas as. ex t. d. et i. d. c.
Male di omnes perdant: ita misera Toxilus haec mihi concivit:
Quia fidem ei non habui argenti; eo mi has machinas molitust.
Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedis, si vivam,
Siquidem huc unquam herus redierit, quod spero.... Sed quid ego adspicio?
Hoc vide! quae haec fabula est? Pol hic quidem potant. Adgrediar.
Bone vir, salve, et, bona liberta.

TOXILVS.

Dordalus hic quidem est.

SAGARISTIO.

Quin iube adire. t. t.

TOXILVS.
Adi, si lubet. — Agite, adplaudamus. Dordale, homo lepidissume, salve.
Locus hic tuos est: huc adcumbe. — Fer aquam pedibus! praeben', puere?
DORDALVS.
Ne, sis, me uno digito attigeris: ne te ad terram, scelus, adfligam.
PAEGNIVM.
At tibi hoc ego continuo cyatho oculum excutiam tuom! t. t. c.
DORDALVS.
Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie vorsavisti? t. t.
Vt me in tricas coniecisti? quomodo de Persa manus mi adita est?
TOXILVS.
Iurgium auferas, si sapias.
DORDALVS.
At, bona liberta, haec scivisti!
[Et me celavisti.]
LEMNISELENE.
Stultitia est, quoi bene licet esse, eum praevorti litibus. t. t. c.
Posterius istaec te magis par agere est.
DORDALVS.
Cor mihi uritur! i. t.
TOXILVS.
Da illi cantharum; extingue ignem, si uritur: caput ne ardescat. t. t.
DORDALVS.
Ludos me facitis, intellego, intellego. c. t.

TOXILVS.

Vin' cinaedum novom tibi dari, Paegnium?
Quin elude, ut soles: quando hic liber locust! –
Hui!
Babae, basilice te intulisti et facete! b. t.

PAEGNIVM.

Decet me facetum esse, et hunc inridere
Lenonem lubido est, quom dignus est. as. ex b. d. et i.

TOXILVS.

Perge, ut coeperas.

PAEGNIVM.

Hoc, leno, tibi!

DORDALVS.

Perii, perculit me probe!

PAEGNIVM.

Hem, serva rursum! b. t.

DORDALVS.

Delude, ut lubet, herus dum abest hinc!

PAEGNIVM.

Viden', ut
Tuis dictis pareo? b. d.

DORDALVS.

I!

PAEGNIVM.

Sed quin tu meis contra item dictis servis, b. t.
Atque hoc, quod tibi suadeo, facis?

DORDALVS.

Quid est id?

PAEGNIVM.

Restim tu cape tibi crassam ac suspende te! c. t.

DORDALVS.

Cave, sis, med attingas: ne tibi hoc scipione malum dem as. ex t. d. et i. d. c.
Magnum!

PAE-

PAEGNIVM.

Vtere: te condono.

TOXILVS.

Iam, Pa gnium, da pausam.

DORDALVS.

Ego pol vos eradicabo.

PAEGNIVM.

At te ille, qui supra nos habitat, t. t.
Qui tibi male volt maleque faciet. Non hi dicunt; verum ego. t. t. c.

TOXILVS.

Age, circumfer mulsum! bibere da usque plenis cantharis!
Iamdiu factum est, postquam bibimus; nimis diu sicci sumus.

DORDALVS.

Di faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat!

PAEGNIVM.

Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum, olim quem Hegea
Faciebat. Vide vero, si tibi satis placet.

SAGARISTIO.

Me quoque volo
Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.

DORDALVS.

Malum ego vobis dabo, nisi abitis!

SAGARISTIO.

Etiam muttis, inpudens?
Iam ego tibi, si me inritassis, Persam adducam denuo.

DORDALVS.

Iam taceo hercle. At tu Persa es, qui me usque admutilavisti ad cutem! i. t.

TOXILVS.

Tace, stulte: hic eius geminust frater.

DORDALVS.

Hiccine?

TOXILVS.

Ac geminissumus. t. t. a.

DORDALVS.

Di deaeque et te et geminum fratrem excrucient!

SAGARISTIO.

Qui te perdidit:
Nam ego nihil merui.

DORDALVS.

At enim, illic quod meruít, tibi id obsit volo.

TOXILVS.

Agite, sultis: ludificemus, nisi si indignum est.

SAGARISTIO.

Nunc opust.

LEMNISELENE.

At me haud par.

TOXILVS.

Eo credo, quia ne inconciliavit, quom te emo.

LEMNISELENE.

At tamen . . . .

TOXILVS.

Non „At tamen!“ Cave ergo, sis, malo et sequere me.
Te mihi dicto audientem esse addecet: nam hercle absque me
Foret et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem.

Sed ita pars libertinorum est, nisi patrono qui advorsatust, t. t.
Nec satis liber sibi videtur nec satis frugi nec sat honestus,
Ni ei obfecit, ni male dixit, ni grato ingratus repertust.

LEMNISELENE.

Pol benefacta tua me hortantur, tuo ut imperio paream. t. t. c.

TOXILVS.

Ego sum tibi patronus plane, qui huic pro te argentum dedi:
Κολάφιζε hunc. Volo ludificari.

LEMNISELENE.

Ego meo in loco curabo t. t.
Sedulo.

DORDALVS.

Certo illi homines nescio quid mihi mali t. t. c.
Consulunt, quod faciant.

SAGARISTIO.

Heus vos!

TOXILVS.

Quid ais?

SAGARISTIO.

Hiccine Dordalus leno t. t. c.
Est, qui hic liberas mercatur virgines? hicne est, qui fuvit t. t.
Quondam fortis?

DORDALVS.

Quae haec rest? Heu, κολαφίζει! Malum vobis dabo.

TOXILVS.

At t. t. c.
Tibi nos dedimus dabimusque etiam.

DORDALVS.

Heu, natis pervellit.

PAEGNIVM.

Licet.
Iamdiu saepe sunt expunctae.

DORDALVS.

Loquere tu etiam, frustum pueri? t. t.

LEMNISELENE.
Patrone, i intro, amabo, ad coenam.

DORDALVS.
Ignaviam num meam tu inrides? t. t.

LEMNISELENE.
Quiane te voco, bene tibi ut sit?

DORDALVS.
Nolo mihi bene esse.

LEMNISELENE.
Ne sit.

TOXILVS.
Quid igitur? sexcenti numi quid agunt? quas turbas danunt? t. t. c.

DORDALVS.
Male disperii! sciunt referre probe inimico gratiam.

TOXILVS.
Satis sumsimus iam supplici?

DORDALVS.
Fateor; manus do.

TOXILVS.
Et post dabis i. t.
Sub furcis. Intro abi igitur.

SAGARISTIO.
In crucem!

DORDALVS.
An parum hic exercitum
Hice habent me?

TOXILVS.
Convenisse Toxilum te memineris. t. t. c.
Spectatores, bene valete. Leno periit: plaudite.

ERRATA.

Pag. 218 v. 1011 lege: servatum.
P. 331 v. 255 l. dicis.

